

Ambl. de s.

963

42-3



PA-TA
(*Patavii*)

SIGILLUM · NATIO · POLONIAE ·

ET · MAG · DUC · LIT ·

RERUM
POLONICARUM

AB EXCESSU

STEPHANI REGIS

AD MAXIMILIANI

AUSTRIACI CAPTIVITATEM

LIBER SINGULARIS

IN LUCEM EDITUS CUM ADDITAMENTIS

JOSEPHI

LITTERARIIS

NOTIIS

LEK.

IAE

ALLETTI

[Faint handwritten text on a piece of paper pasted over the title page]

[Small handwritten mark or signature]



A. S. E. il Sig.^o Cav.^o Gran Croce
D' Italini xi.

Ambasciatore e Ministro Plenipotenziario
di S. M. I. Q. l'Imperatore
di tutte le Russie e re di Polonia &
Leopoldo Ciampi

RERUM
POLONICARUM

AB EXCESSU

STEPHANI REGIS

AD MAXIMILIANI

AUSTRIACI CAPTIVITATEM

LIBER SINGULARIS

IN LUCEM EDITUS CUM ADDITAMENTIS

AB SEBASTIANO CIAMPI

IN ITALIA AB NEGOTIIS LITERARIIS

PRO REGNO POLONIAE




X. DR. FIJALEK

FLORENTIAE
TYPIS IOSEPHI GALLETTI

MDCCCXXVII



01411



Ni 538.

MICHAELI OGINSKI POLONO
DECURIONI AB ATAVIS
COMITI SENATORI A PRIVATIS CONSILIIS
A P U D
IMPERATOREM OMNIUM RUSSIARUM
REGEM POLONIAE etc.
ORDINUM AQUILAE ALBAE ET STANISLAIANI
EQUITI TORQUATO
VIRO AD SAPIENTIAM MENTIS ET OMNEM HUMANITATEM
APPRIME EXCULTO
SEBASTIANUS CIAMPI
B. V.

Ab antiquissima aetate more receptum est
viris aut sapientia praestantibus, aut patronis,
aut demum amicis nuncupare libros, pignus
pro meritis unius cujusque vel obsequii, vel
gratiae, vel amoris, tamquam omnium mentis
facultatatum contributionem.

Quod ita cum sit, Oginski Michael, musarum ocella, nemini quam Tibi, Sapienti, Patrono, Amico, libellum hunc, quem ego Polonis tuis, imo et meis gratificaturus in lucem literarum emitto, debui magis offerre, cum propter has laudes tuas, tum quod in illo agatur de Polonica historia, quam Tu, si quis alter, perspectissimam habes, scriptor ipse eximius historiae polonicae aevi nostri, cujus elegantem lucubrationem propediem in manus hominum es editurus.

Quare laeta fronte, ut me semper, et istud obsequii, et amoris erga Te mei testimonium excipias rogo; Vale.

*Datum Florentiae Kal. Novembris
Anni S. R. MDCCCXXVI.*

PRAEFATIO EDITORIS.

Dum pro munere officioque meo darem operam in Italia perquirendis polonae historiae monumentis sive ignotis et nondum editis, sive notis vulgatisque, admodum tamen raris, in istud incidi, quod ex veteri manuscripto exemplari typis florentinis impressum divulgo. Anonymus est liber, inscribiturque Rerum polonicarum liber XIII; quo titulo patet esse fragmentum integri operis, quod seu tredecim, seu pluribus constiterit libris. Statim quaesivi utrum historiarum polonarum, quae pernoscentur, pars aliqua esset. Inter polonae scriptores historiae, qui ad libros duodecim, vel ultra narrationem protraxerint, recensentur Ioannes Duglossus, librorum XII. Historiae poloni-

cae author, et Martinus Cromerus, qui de origine et rebus gestis Polonorum libros XXX descripsit; verum antiquiores illi, quam potuerint de rebus agere in hoc libro contentis, de rebus scilicet in Polonia gestis ab interitu Stephani regis usque ad electum regem Sigismundum Sveciae principem et ad captivitatem Ferdinandi Austriaci. Reinholdus etiam Heidesteinius Rerum polonicarum ab excessu Sigismundi Augusti libros XII. usque ad oppugnationem Albi Lapidis, rege Sigismundo III. hujus nominis, est prosequutus; sed quae libro hoc nostro diffuse narrantur, ille complexus est libro VIII. ad medium circiter nonum; itaque cum in sequentibus libris excesserit haec tempora narratione rerum ab Sigismundo Sveco gestarum, non potuit ille XIII addere in quo describerentur ea quae jam tetigerat in praecedentibus, de interregno, inquam, post mortem Stephani regis.

Cum vero per varias investigationes minime potuerim aliquid certi statuere, laterent nec ne libri hujus in Polonia vel alibi MSS. exemplaria, non supervacaneam futuram operam putavi meam si de illo in lucem edendo curassem; ut potestas esset hominibus doctis, eo perlecto, judicium ferendi, statuendi de illo quod eis videbitur, et perquirendi utrum vel manuscripta, vel typis impressa eadem narratio alicubi reperiat.

Titulus, quem habet exemplar a me inventum, non potuit, eo singulariter edendo, servari; quare alium substitui, unde libri argumentum statim dignosceretur. Notas et additamenta quaedam adjeci, praesidio aliorum συγχρόνων monu-

mentorū , quae sunt apud me , quibus illa confirmatur , illustraturque narratio .

Verum cum sit liber α'δέσποτος (sine authoris nomine) ab officio editoris non est alienum inquirere quis , cujasve ; Polonus , Italusne fuit ?

Primum itaque in disquisitionem vocabimus utrum Ioanni Michaeli Bruto veneto possit attribui , qui apud Stephanum Bathorem Poloniae regem ab historia conscribenda fuit . Et sane in epistola sua eidem regi data Kal. novembris anni MDLXXX , dabitur , (inquit) aliquando facultas , Deo bene juvante , defuncto tanto labore (pannonicarum rerum historia) de tuis laudibus scribere solertiore animo aggredi . . . Non enim despero fore , jam XII. justis libris Pannonicarum rerum confectis (a) , ut non mihi aliquando liceat , quod unum in optatis maximum est , rebus abs te gestis admovere manus , (pag. 355 Epist. editionis berolinensis an. 1698.) Hunc sane laborem Brutum perfecisse affirmare videtur Ianoskius in Bibliotheca Zalusciana scribens : , Coepti autem a Bruto Polonorum annales , Ste-

(a) Utrum perfecerit numerum duodecim librorum Rerum pannonicarum plane non liquet . Ianoskius in Bibliotheca Zalusciana scribit libros XII. pannonicae historiae a Bruto confectos extitisse Varsaviae initio saeculi XVII. calamo exaratos a Wolfango de Bethlen . Id autem ab eo non temere traditum esse puto . Ex Bruti epistolis unum constat nondum explevisse an. MDLXXXII. (epist. ad Cratonem pag. 543. edit. berolin) sed potuit in posterum perfecisse . Octo qui MSS. supersunt libri in Imp. Biblioth. Vien. adservantur .

phano rege de vivis sublato, a Bruto ipso absconditi atque suppressi fuere „. *Hos Polonorum annales intellexerit Ianoskius res gestas a Polonis, Stephano rege, at qua fretus auctoritate scripserit id, nequaquam dicit. Mazzuchellus in opere* „ *Degli Scrittori di Italia T. II. p. IV. pag. 2248.* „ *haec habet: avea pure in pensiero di dar fuori la storia particolare di Stefano Battori, e di stendere un' epistola contro il cattivo costume di scrivere in latino i titoli pomposi che si costumava di dare a' soggetti qualificati in volgar lingua, ma non c'è noto che abbia effettuato questi suoi pensamenti.*

Consideranti mihi ingenium acre, et liberum scribendi genus Michaelis Bruti, qui saepe in hominum vitia cernens acutum, parcebat nemini, improbanda non mihi videtur opinio Ianoski; suspicari enim licet, Stephano rege e vivis sublato, sibi timentem Brutum a potentibus hominibus, quorum vitia moresque, vel in administranda republica rationem censura obstrinxerit sua, omnem posuisse diligentiam in abscondendis sive Polonorum annalibus, sive Stephani regis historia.

Ceterum si Bruto librum hunc Rerum polonicarum XIII. adjudicemus, supponamus oportet scriptos ab eo fuisse libros XII. quibus ultimus hic XIII. adjungeretur; deinde Rerum polonicarum operi universo titulum apposuisse, ut par esset alteri Rerum panonicarum. Et re quidem vera Stephani regis historiam scribendo fecisset utrumque: laudes nempe regis adornavisset, et Polonorum, quos vocat Ianoskius, composuisset annales.

Postquam satis, ut arbitror, probabili argumento monstratum est perfectum a Bruto fuisse consilium, quod mente agitavit, scribendi sive Rerum polonicarum, sive Stephani Poloniae regis historiam, cujus parergon fuerit liber hic XIII. videamus modo utrum stylus, totaque libri ratio Brutum sapiant, detegant Brutum. Primum itaque legenti cuilibet facile manifestum erit libro illi quadrare, quae Brutus monebat in epistola Petro Buzinskio de ratione latine scribendi data Cracoviae VII idus decembris anni MDLXXX. (pag. 200 edit. cit.). „ Longius recedens a vulgo recepta scribendi consuetudine, quae fere est infuscata verborum tetra barbarie, propius accedet ad veterem illam romanam et nativam elegantiam, quam conatus sum repraesentare. Brevis in toto hoc genere debet esse verborum ambitus, sed quo multa comprehendantur: ita concisa oratio, ut hinc plena verborum et roboris, hinc prolixa sentiis gravissimis, et sumptis e locis reconditoribus, expleat solida quadam voluptate legentium animos, non fatiget labore „ Ad hoc etiam spectant quae scripsit Joanni Cratoni (p. 344. d. edit.) „ Res ridenda, sed digna odio, perpaucorum immani licentia. . . . latinae linguae splendorem atque elegantiam extinguere „ Alibi eos damnabat, ut Mazzuchellus ait, qui novis titulis dignitatum, vel munerum latinam linguam aptare volebant. Hujus autem censurae specimina in hoc libello plura inveniuntur veluti, haec „: Nec multo post ab Archiepiscopo indicto Varsaviae conventu, qui ab Sigismundi Augu-

sti morte primò novo quodam vocabulo convocatio (a) est dictus ;. Et ,, Gubernacula reipublicae, quod illi nimirum regalia dicebant ,, aliaque plura.

In libro autem De historiae laudibus ad Stephanum regem quaerens utrum scriptorem historiae gentis cujuscumque oporteat esse civem an extraneum, ita ratiocinatur:,, Sollicitant scribentem in patriam a natura insitus amor, et charitas in suos, tum omnium maxime, susceptum in eos odium, quibus ea sunt molesta, quae carissima ipse habet, ut quamquam suopte ingenio sit suae fidei memor, quominus tam facile sit memor constantiae, eum invitum, tanquam vehementior procella hinc odium, hinc amor transversum agat, et quidem unde illum nequaquam fidei studium revocare queat; cujus perturbationis est expers, qui, quominus suae fidei obliviscatur de alienis rebus scribit: quo quidem in munere fungendo unum propositum habet, ut nulla cum cujusque injuria testis religiosi officium, unde voluptas solida et perpetua est, sua liberanda fide praestet . . . quae cum ita sint neque nos amor in reprehendendis amicis, neque a laudandis amicis odium, ubi hoc nostra fides requirat, debet retardare; neque adeo nobis probro dari debet si quos semel laudavimus, mox reprehendamus;

(a) *Conventus quidem est ipsa hominum congregatio assemblea; convocatio autem est actus convocandi bandire; oportet ergo illud propter quod fit convocatio significare, nempe convocatio conventus aut aliud simile huic.*

nam qui res gerunt ipsi efficiunt sua constantia ut minus nobis in eorum laudibus constemus; cum non semper iidem aut recte, aut improbe facere consueverint. Sit igitur hoc nobis infixum animo, ut, de medio sublatis personis, sive illi amici nobis, sive inimici sint, de eorum rebus gestis nobis esse ex nostra fide scribendum statuamus. Atque haec quidem Polybius; ex quibus conjici possit quanto aptior sit scribendae historiae is cujus parvi intersit recte quid et cum laude, an foede et cum dedecore ab alienis agatur, quam ejus ad quem tamquam ex his unum qui aut laudantur aut vituperantur, sensus laudis et infamiae pervenit. Nam quod minus exterum hominem adjuvent aut peritia locorum, aut perspecti gentis mores, cujus rescribat, quo id efficiat minus industria efficit, quae quanto illa magis scribentem desciunt, tanto, ut ea sibi studio paret, in eo excitat sedulitatem curamque; acriorem, Haec Brutus; quae si cum stylo, dictione, et rebus, quae in hoc libro narrantur comparare velimus, patebit a nemine aptius potuisse scribi, ut altera alterorum et exemplum, et confirmatio vicissim fierent. Etenim in universa illa narratione, nec amor in reprehendendis amicis, nec in laudandis inimicis odium retardat, non partium studio liberum legentibus praeveniunt, vel adimunt iudicium, sed author enarratoris munere fungitur, in utramque partem adferens illa, quae vicissim aut fierent, aut dicerentur; itemque laudat, vituperatque, pro re nata, eosdem homines, quos laudarat; ex quo dum scriptor liber et ἀκόλαστος vi-

detur, difficile admodum est djudicare utram in partem scriptoris animum inclinarit.

His admodum probabilibus argumentis, quae Ioanni Michaeli Bruto hanc enarrationem concedunt, alia possunt adjungi: videlicet Brutum ab Stephani regis morte (licet Viennam fortasse digressum) Rudulphi Caesaris historiographum esse renunciatum, et Varsaviae comitorum tempore adfuisse apud Vilhelmum a Sancto Clemente Philippi regis Hispaniarum legatum ad comitia pro novo Poloniae rege eligendo indicta. Brutus itaque vidit, audivitque praesens omnia quae fierent, novitque homines propter diuturnum in Polonia non solum, sed in ipsa domo regia incolatum. Scribere ergo non tantum potuit, at fortasse debuit pro munere officioque suo quaecumque ab initio ad exitum usque comitorum evenerint, et ea quae sunt subsequuta; cum pars magna rerum illarum Domus Austriaca fuerit. Haec igitur perstrinxerit in isto libro, qui tertius decimus adjungeretur duodecim illis Rerum polonicarum libris, vel jam ab eo perfectis vel in posterum perficiendis, quos, mutato consilio, aut non complevit, aut completos suppressit, sive abscondidit, ob jam dictam causam; latentque fortasse adhuc.

Dum his adnixus rationibus librum hunc α' δ' ε- π ο τ ο ν Ioanni Michaeli Bruto vindicabam: ecce supervenit non visum antea monumentum, quo certus libri author detegi videbatur. Cum enim eundem scriptorum acervum, unde liber ille emergerat, iterum iterumque scrutarer, ecce se mi-

hi offert epistola Simonis Genga Vrbinatis data Roslaviae XXV. Augusti anni MDLXXXVII.

Fuerat ille architectus militaris in exercitu Stephani regis; et cum illa, tum aliis epistolis quaecumque ante vel post electum Sigismundum regem evenissent sedulo describebat. Itaque in ea quam dixi epistola, haec initio leguntur,, Il Sig. Christoforo Varsevitii gentiluomo polacco et amicissimo mio mi ha promesso scrivere, e darle minutissimo ragguaglio di come sieno passate le cose di queste due elletioni che si son fatte per li re di questi paesi, però pensando che lo facci, et sapendo che lo può fare per essere persona dotta et pratica, come quella che scrive historie, et compone altri libri, non me ne affatigherò io; sol questo non tacerò, che facendo egli professione di servitore di Casa d'Austria avverta, che se esso si distendessi in dire che l'elletione fatta nella persona dell'Arciduca Massimiliano fossi stata più legittima, et piu approvata da questa nobiltà che quella del Svedo, non gli creda, perchè in effetto io, sebbene con mio dispiacere lo scrivo, accerto V.S. che è impossibile che tale elletione nella persona di quel principe vadi innanzi, tanto è l'odio che questa nobiltà porta al nome tedesco, et la vedrà che se tenterà per forza, come alcuni dicono che farà, non gli riuscirà cosa alcuna,,. Fere autem in extrema epistola inquit,, Io pensava di scriver quattro righe sole riportandomi al detto sig. Christoforo Varsevitii, poi ho scritto così lungamente che harò molto noiato ec.,,

Fateor equidem non parvi esse momenti, quae

hinc posset oriri suspicio librum hunc Christophoro Varsevicio adscribendi. Fuit enim historiae scriptor, primum Stephano regi a secretis, deinde archiduci Maximiliano Austriaco regi electo, et familiae universae Austriacae addictus, ita ut Maximilianum electionem suam armis contra Sigismundum vindicantem fuerit obstinate sequutus, ut ex hac narratione plane dignoscimus. (a)

Austriacis vero partibus hujus libri scriptorem dubium non est fuisse, licet enim summo studio latere conatus sit, attamen, se invito, non dubiis indiciis detegitur, quemadmodum attente legenti patebit.

Demum, ipsum libri authorem cum Austriacorum fuisse partium, tum rebus interfuisse videntur haec satis declarare verba, quae leguntur pag. 74, nempe „ Andreas Zborovius (6) regni Aulae Marschallus, qui a fratre Ioannis discessu omnem administrationem nostram in se receperat etc. „

Verum haec vicissim quadrant universa et ipsi Bruto, qui ab famulatu Stephani regis transiit, illo vita functo, ad partes Principum Au-

(a) Praeterea scripsit „ Orationem in mortem Maximiliani Secundi Imp. Romani, Ratisponae 1576. 4. Ex epistola ad Imp. Rodolphum, quae praemittitur, patet illum tunc fuisse Ratisponae. De hac oratione silet Starovolscius in centum Scriptorum polonorum elogiis, dum libros a Varsevicio scriptos recenset; ex quo silentio deduci potest rarissimam, et quasi ignotam vel illa aetate fuisse hanc orationem, cuius exemplar est apud hujus commentarii editorem.

(b) Zborovii omnes Austriacis adhaerebant.

striacorum, scripsitque Orationem ad Polonorum et Lithuanorum Senatum universosque regni polonici Ordines de Ernesti archiducis Austriae, et de universae familiae Austriacae laudibus; itemque censuram scripsit in Orationem Lucae Chwalkowski, qua Sveci principis petitio in comitiis Varsaviensibus de novo rege creando commendabatur (Francofurti apud haeredes Andreae Vechelii 1590).

Haec itaque paribus momentis aut favent, aut obstant utrique: sed lancem inclinare videntur erga Brutum aliae non aspernandae observationes, quarum prima est ipse stylus universae scripturae, qui magis congruit Bruto quam Varsevitio, styli utriusque comparatione instituta. Deinde multa nomina polonica in latinum detorta ita scribuntur, ut arguant alienigenam libri Authorem. Tertio: si Varsevitio librum hunc tribuamus, necesse erit ostendere vel eum scripsisse, vel de polonica historia conscribenda duodecim vel ultra comprehensa libris aliquando cogitavisse: quod neutrum memoriae traditum de illo scimus; alterum vero certe scimus de Bruto, alterum non immerito suspicamur.

Denique cum in illis, quos dixi, scriptorum acervis alia multa inveniuntur de rebus iisdem latine scripta: fieri potest ut inter ea comprehendantur, quae scripserat Varsevitiu; praesertim cum, juxta Simonis verba, ille potius per epistolas, quam per historiae commentarium, quae in diem gererentur (c) videbatur esse communica-


(c) Specimen illorum scriptorum exhibetur in fine ubi

turus, jattamen, his utrinque perpensis, quemadmodum difficile utri liber hic sit adjudicandus certo statuere, ita neutri certo auferri posse judicamus.

Ad stylum quod pertinet sive Bruti, sive fuerit Varsevicii, secundis curis ab neutro fuisse expositum facile intellectu est; namque calamum properantem olet, cum plurium repetitione, tum duriuscula collocatione verborum, et periodo saepe incisus repleta, et nimium producta; unde sententia obscurior fit, lectorque haesitans iterum iterumque legat oportet; sed non haec officiunt quominus ab ungue, ut est proverbium, dignoscamus leonem, detegaturque sermonis latini nitor, immo et nervus robustae dictionis.

Haec ego; meliora alii; tempus fortasse certiora.

agitur de indicta Maximiliano per Cancellarium Zamoscium deditio.



Gravi nec opinata Stephani regis morte per Poloniam divulgata, et non tantum Ordinum, sed hominum omnium animis, partium studiis novi regis desiderio, excitatis, cunctae eae, quae non tam sublatae, quam sopitae videbantur discordiae toto Poloniae regno vehementius exarserunt.

Annus tum a nato Christo O. M. supra mille quingentos sextus et octuagesimus numerabatur, cujus propemodum exitu, haud ita diuturno exanimatus morbo idibus decembris, Grodnae, in iis aedibus, quas satis magno sumptu, et sollicitudine sibi erexerat vivens, vitam cum morte commutavit. A cujus immaturo obitu varios et mirabiles motus in republica secuturos non nemo prospiciebat animo, et quod in superiori electione usuvenit, non unum, sed plures eligi reges non temere verebatur. Erat longior ab eo loco Regina ejus coniux, Varsaviae; quo cum, celeri nuncio, ejus rei fama pervolasset, a laeta regii adventus pro comitiis intra unum mensem celebrandis expectatione, ad extremam tristitiam et

animorum perturbationem omnia reciderunt. Iam et habebantur toto regno conventus frequentissimi, qui generalia vulgo appellantur comitia, et more et instituto majorum per Palatinatus et Municipia antea sunt. In his, ut de regia morte, exiguo sane interposito spatio, allatus est nuncius, incredibile dictu, quam miris quibusdam vocibus, et tam regiae administrationis commemoratione, quam futurarum rerum auguriis tota Polonia personabat. Erat namque non nemo, qui in Rege, et ipsius gubernatione aliquid requireret; et qui summis vicissim laudibus in caelum eum ferret, ac superiorum interregnorum repetenda memoria, illis etiam graviora patriae suae ominari minime dubitabat (1).

Quibus omnibus fidem intestina procerum odia, et graves, et diuturnae faciebant simultates; cum et ipse Stanislaus Karnkovijs Gnesnae archiepiscopus, Senatus princeps, qui sub interregno consilia dirigere et indicendorum conventuum praestare se debet authorem, partim male valere, partim invidia Nobilitatis gravi passim laborare diceretur. Quae res omnium Ordinum saniores homines, licet ipsi etiam archiepiscopo parum aequos, salutis suae reipublicae gratia, haud dubie commovebat (2). *Ubi enim praeire omnes, subsequi vult nemo, ibi praesens interitus gubernationis popularis.*

Iam et Lithuani in omnes rei bene gerendae, et libertatis suae augendae occasiones perintenti, Eustachium Volovicium vilnensem, ac Christophorum Renovicium brzestensem castellanum a regia morte miserant Reginam officiose consolatum, quae de Ioanne Sveciae regis, et Catharinae sororis suae filio in regem Poloniae eligendo jam tum consilia

agitabat, quòd, secundo populo, prae ceteris competitoribus eum posse eligi regem, ipsumque regnum quodammodo ei deberi apud se habebat constitutum, et quòd denique ex Lithuanorum legatione aliquid spei ea de re conceperat; qui praeter publice exposita mandata, in quibus de futuro rege mentio fiebat nulla, secretos cum ea serebant sermones, et jam tam in conviviis, quam et in privatis colloquutionibus amicorum Iagellonicae stirpi, quae ex Lithuania ortum traxisset, favere se non obscure profitebantur.

Nec multo post ab archiepiscopo indicto Varaviae conventu (qui a Sigismundi Augusti regis morte interregno, primò novo quoddam vocabulo *Convocatio* est dictus) vix tandem impetratum est, ut ille qui conventum indixerat, valetudinis excusatione, in eundem adveniret. Interim quidem ex utraque Polonia senatorum multi, et Municipiorum legati confluxere frequentissimi; et ipsi Lithuani, cum graves absentiae suae attulissent causas, praecipuae auctoritatis viros publico omnium nomine miserunt in eum conventum oratores, qui ipsi Joannes Clebovicius palatinus trocensis, et Nicolaus Sapieha pro-cancellarius Lithuaniae dicebantur. Ac ita toto fere Poloniae regno, ex praecipuis, solus in quem omnium oculi conjecti fuissent desiderabatur Cancellarius; qui nihilominus, datis ad Ordines literis, absentiam suam diligenter excusabat. Ea res varie variis accepta authoribus nihil sane mitiores adversariorum animos facere ei videbatur. Illi erant Zborovii maxime, lingua magis et manu, quam animis praepollentes, et judicii gravitate; totoque Poloniae regno praefisi et potentes clien-

telis; quibus adeo septi multas multis iniurias facere minime aliquando dubitarunt (3). Hi Samuelem Zborovium, ob Andreae Vopavii castellani praemiensis in aedibus et oculis regis patratam caedem, ab Henrico rege in perpetuum quondam proscriptum, demum vero a Cancellario, tamquam praefecto cracoviensi, in eodem Palatinatu captum, capiteque truncatum apud Ordines acerbissime queiebantur, adstipulante iis Stanislao Gorkano comite, posnaniensi palatino, qui gente, opibus, et comitatu nitens momenti saepe plurimum Zborovianis partibus afferebat. Quod quidem tanta animi contentione, pleno Ordinum conventu, a Zboroviis gerebatur, ut partim nonnulli ii, qui volebant pro Cancellario aliquid dixisse, silere prae acclamantium vocibus, partim, armis ab eorum familiaribus petiti fugere per plateas cogentur.

Quibus de rebus per dispositos ad celeritatem equos, diebus fere singulis fiebat Cancellarius certior, et identidem literis Varsaviam missis facti sui rationes explicare, sed frustra, tum nitebatur; laborabat quippe invidia gravi, cujus, ultra Gorkani et Zboroviorum in eum conciones, regis demortui aulici, non infimi illi toto regno viri, et flos ipse nobilissimae juventutis, qui tum eo venerant, nova quadam apud Ordines querela publica, authores extiterunt. Volebant hi fidem in Principem suam, et erga Rempublicam testatam relinquere voluntatem; et quoniam multa a multis dici de regia morte, et avectis Grodna thesauris intellexerant, simulatque pro comitiis venerant, adierunt Varseviciam, quo cum de rebus communibus communicatis consiliis, petierunt tandem, ut eorum om-

nium nomine in consessu Ordinum verba faceret , et quae scitu necessaria viderentur publice omnibus aperiret. Rem , huic , scripto comprehendere , ne author illarum rerum ipse videretur , magis placuit ; quod brevi , post omnium , ut fit , requisitis sententiis exaratum , et aulicorum , qui tum aderant manibus signisque firmatum Martinus Broniovius , postea quam Varsevicius pauca praefatus ad Ordines fuisset , in hanc fere sententiam recitavit : Rex non constare qua ratione esset mortuus ; audiri quidem medicorum contentiones inter se varias , non leve argumentum eorum in aliquo falsitatis (4) ; Thesauros regios multorum testimonio Grodna esse avectos ; ejus rei suspicione Vesselinum laborare , cujus in hoc regno ditandi , praeter jura et consuetudines patriae , Cancellarium extitisse authorem , ut ille vicissim , qua Vesselinus erat apud Regem gratia , ad nutum suum omnia habuisset (5) ; Ita demum sursum ac deorsum nihil non agitatum fuisse in Polonia ; Regem simul atque regni possessionem adiisset , tykozinense Jagellonum , suppellectili praenobili , absorbisse aerarium , ac noscitur quibus authoribus ; hono illo et sapiente nomine bellum suscepisse gedanense , quo consilio nihil magis praeceps judicabant saniores ; Demum bella ex bellis seruisse semper , et gravem pecuniam imperitasse populis , quo ipsae exinanitae provinciae , oppressi coloni , et omnia toto regno suum florem viderentur perdidisse ; nullum enim aliud togatae et armatae tyrannidis esse discrimen , quam haec vi , illa arte civium exurgeret sanguinem , et nervos occulto incideret libertatis. Iam et praemia , et bona reipublicae , Cancellario authore , distribu-

ta fuisse pessime, quoad rex in vivis extitisset, qui quoniam ad se suosque referebat omnia, Senatam, qui per illustris esse solebat, vilibus et nihili hominibus in eum cooptandis obscuravit; ac solis fere *hai donibus* (*sic*) praedandi et latrocinandi spes proposita fuerat impunitatis sempiternae; Postremo non aequae polonorum, ac hungaricorum aulicorum habitam in aula fuisse rationem, Cancellario non moto, non obstante, verum etiam regiis cupiditatibus semper, et in omnibus serviente; quo demum rex ipse laborabat invidia, et nihil meritis suis, quamlibet praestantibus, proficere videbatur apud Nobilitatem potuisse; duo quippe irrita ejus conatu celebrata fuisse comitia, tum regiae, tum adeo et reipublicae jactura dignitatis; advenisse ergo tempus quo his rebus obviam eundum esset, et res exempli mali ex republica extirpandas, statuendumque inter bonos et malos discrimen, cum poenis et praemiis vis constaret totius gubernationis; se quidem aulicorum, non instigatorum munere fungi; sed tamen Ordines quod scire eorum interesset celare noluisse, ac ejus dicti vocem relinquere testem in Principem fidei, et suae erga patriam voluntatis. Haec fere querela illa ad Ordines continebat, cui, qui pro Cancellario voluisset respondere toto fere Senatu repertus est nemo praeter Joannem Baranovium episcopum praemisiensem, regnique pro-cancellarium, et Martinum Lesnovolscium podlachiensem castellanum, quorum quidem minorem faciebat audientiam sibi oratio, quod, Cancellario authore, a Stephano rege opibus et honoribus praeter expectationem aucti vulgo magis dicebantur. Quae res magnos etiam homines

praeteritarum sordium recenti quadam memoria reddit minus vereudos.

Jam et venerant Caesaris Rudulfi pro iis comitiis legati in eo statu et orbitate Reginam salutatum, Abbas sancti Vincentii vratislaviensis, et Joannes Cochlicius Camerae Silesiae consiliarius, qui publice ab ea auditi, humaniterque habiti, peracto conventu, in Silesiam, unde venerant, vicissim se receperunt. Favebat illa certo quoddam modo austriacis partibus, sed ita nihilominus austriaci regis, ac in primis Maximiliani electionem videri nolebat procurare, ut Sigismundus Sveciae princeps et sororis ejus filius regno ante alios potiretur. Demum quidem, si fieri id minus posset, Maximiliani Archiducis Austriae (quem ad sororis filiae suae nuptias, prout literis ultro citroque missis, ac postremo a Joanne Roznovio Vienna ad eam allatis constitutum fuerat, convolaturum sperabat) potissima ratio haberetur. Ea re parum abfuit quin se ipsam Regina defraudasset, et his qui vel Moschum, vel indigenam eligi cupiebant tam Maximiliani, quam adeo etiam ipsius Sigismundi excludendi praestaret facultatem; *qui enim plures simul sectatur res, hic ne una quidem laetatur aliquando.*

Hac mora audiendis Lithuanorum postulatis in illo conventu ipso temporis nonnihil est extractum. Postulabant ii more suo multa, et praeter Volhiniae, Podlachiaeque ac Livoniae restitutionem *Reinholdi Heidesteini* (6) publica totius conventus auctoritate volebant, ut falsam, aboleri historiam, cuius nonnulli ipsum Cancellarium opi-

nabantur esse scriptorem ; constat quidem certe et a Rege , et a Cancellario diligenter revisam et emendatam extitisse (7). Hoc idem et Sendivogius urgebat. Czarnkovius , qui in illis Reinholdi commentariis , cum nihil ad rerum moscoviticarum narrationem (cum titulus libri promitteret id) omnino pertineret ab Heidesteino (qui neque Moscoviam ejusque bella viderat , nec Czarnkovium , sic ut describit , noverat) graviter admodum notabatur. Erat Czarnkovius claro et illustri loco inter suos natus , qui cum aetatem fere totam publicis muneribus , et tam Municipii sui , quam Reipublicae obeundis legationibus exegisset , tandem interregnum orta tempestata ex contentione electionis , partes Maximiliani Caesaris (8) sequutus bonis quibusdam , quae in Polonia ab aliis regibus habuerat a Stephano rege fuit privatus. Hic in Poloniam reversus , cum tandem restitui sibi (ut ingenii sui afferebat mos) illa bona vehementius postularet , frustra que id in comitiis aliquot magnorum hominum patrocinio fretus , peteret , sic adeo odiosus , et suspectus regi evaserat , ut unus ex illis , quos turbare sibi in Polonia judicaret res procul dubio videretur. Hoc ergo Czarnkovio describendo cum de comitiis a bello moscovitico irrito regis conatu celebratis verba Heidesteini facit , longiorem paulo , sed num etiam vere et apposite scriptam ipse viderit , inserit narrationem.

Detrahit enim fidem sibi ipsi is , qui non tam necessario et scienter , quam studiose , et inepte magis rebus in historia extra seriem narrationis inhaeret conquirendis.

Iam vero non pauca etiam alia in hoc ipso fuerunt constituta conventu, reclamantibus licet quam plurimis, qui cum verbis nil proficere potuissent, in viam se dederunt, et multis, ut idem facerent, exemplum prae buerunt, inter quos Andreas Opalenius regni Marscallus (9) praecipuus fuerat, quem discedentem non pauci sequuti, Gorkano et Zboroviis apud reliquos in conventu illo Ordines, id quod pridem designabant animo, impetrandi reliquerunt facultatem, namque ut Cancellario imperatoris exercituum munus deferretur, quod post homines natos nemo cum cancellariatus munere simul in Polonia administrasset; ac ne per instituta quidem Patriae administrare unquam posset.

Conventus illius auctoritate adeo geritur ut Ioannes Herburtus (10) cum tribus militum millibus in Russiae et Podoliae oris contra hostem excubaret, Iam vero ut internae, quam externae paci ante omnia consuleretur; Partes quae interim offensae essent, archiepiscopi, et quorundam ex Senatu auctoritate aut in gratiam redirent, aut pro electionis regiae comitiis ab ipso eligendi loco longioribus abessent intervallis, Ordinumque iudicio staretur, publicis, et privatis rebus ibidem terminandis; qui vero ab aulicis delati fuissent in electionis comitiis causam dicerent, Ordinesque ne quid detrimenti caperet respublica providerent; Varsaviae eligendo regi locus statueretur, tempus vero trigesima esset junii, Rex non nisi concordibus omnium electus suffragiis legitimus haberetur; Qui munera eligendi regis gratia acceptarent hostium loco essent; Nec quisquam cum exteris clandestina consilia agitar(11) Regi electo inter alia proponendum ut decre-

tum regium *de proscriptione Christophori Zborovii* irritum redderet, et *de nece Samuelis Zborovii* Cancellarius coram eo responderet; Reinholdi postremo de rebus moscoviticis commentarii, ac item Rescii in Christophorum Zborovium accusationes tres, quarum ipse Cancellarius dicebatur esse author, jam ejus ipsius Conventus auctoritate abolerentur; Regni Thesaurarius palatino posnaniensi, et quibusdam aliis numeraret ex aerario publico pecuniam, et bona regalia per externos contra leges occupata fisco regio applicaret; Ablatae denique omnes res, quae tam a Sigismundo, quam a Stephano mortuo reipublicae essent, recuperaret.

Haec fere conventu illo, non quidem ea, quae par erat gravitate, in publico Senatus consessu adhibita, nec solita Ordinum frequentia constat esse peracta. Quae tantum abest, ut hominum animos sibi invicem infensos placare debuissent, ut eo etiam majorem dissensionem et suspicionum ansam prae-buisse viderentur.

Discessit vero ex eo conventu animo et corpore aeger Stanislaus Karnkovijs gnesnensis archiepiscopus, et vix adeo Blonium, vicinum Varsaviae oppidum Lovicium versus, attigerat, quum de ejus morte, conventu nondum soluto, rumor percrebuit, vocibus hominum, ut fit, liberioribus audiendis. *Nulla enim certius re vel occasione, quam ipsa morte, aut extrema aliqua calamitate amici et inimici patefunt.* Iam quidem tum, nunc hi, archiepiscopo mortuo, meliorem rerum et temporum conditionem in republica futuram, nunc illi majora adeo pericula, tamquam navem nauclero orbam, excepturam eam judicabant, sic, ut solus fere se ipsum

tandem archiepiscopus solaretur, partiumque ostensarum animis recouiliandis, quantum per valetudinem poterit, nihilominus laboraret. Qua etiam ipsa de causa non multo ab eo conventu post Ioannem Scubscium castellanum inoivlodislaviensem spectatae fidei et prudentiae senatorem, suum palatii praefectum, ut decretum fuerat, Zamoscium ad Cancellarium ablegavit.

Iam is scriptum, quo archiepiscopo responsurus, et absentiae factorumque suorum rationes allaturus erat, copiose satis exararat. Id quidem cum multa magnaque alia, tum illud continebat maxime, eum conventum non iis rebus, quae in eo decreta postea fuissent, sed loco saltem, et tempore electioni praefiniendae fuisse constitutum; archiepiscopum debuisse fideliter certiore eum facere de iis, quae in eo conventu erant tractanda; Qui interim author illi fuisset ut domi suae se contineret, et pro Russiae, Podoliaeque oris contra hostes excubaret, nemo non sciret quam regia, et tribunalium decreta in dubium vocare sit, semperque fuerit periculosissimum; Quod regem in causa Christophori Zborovii iudicem fuisse, et delatorum neminem apparuisse diceretur, prorsus esse nihil; qui enim contra personam regis aliquid enorme committit, in hunc ipse rex cum senatoribus in comitiis statuit, quod exemplo Sigismundi primi luculenter comprobatur; Quid quod non modo de persona regia, sed et de ipsa etiam agebatur republica; etenim crimen illud Zborovii de proditione in patriam, et clandestinis cum mosco hoste habitis consiliis plus fere omnes, quam ipsum regem male debebat habuisse; Qui emm in patriam, omnium antiquiorem delin-

quit parentem, hic haud dubie delinquit in universos; Delatores testes ipsos fuisse sane locupletos, minime suspectos falsitatis; Reinholdi et Rescii scriptorum iniquissime proscriptionem postulari; Esse Reinholdi commentarios testes rerum non solum a Rege, verum etiam ab ipso regno gestarum gloriose; quae Rex ipse non modo vidit, sed et correxit, et liber ille cum emendatione a rege facta in manibus ipsius est auctoris.

Qui ergo fieret, ut hi commentarii proscribi debeant, ante quam in disquisitionem pervenirent? Examinandi potius essent ii, qui rebus non modo interfuerunt, verum etiam praefuerunt, videndumque num qua in re his in commentariis erratum sit alicubi; *Alioquin quo magis ista suffocabuntur eo longius videntur duratura*; Cujus rei non deesse exempla etiam quam plurima. Cato vir in romana republica summus solebat artes Caesaris, quibus ille publicae insidiabatur libertati, aliis aliquando aperire; qua de causa iis inter se conveniebat semper; Cicero autem mortuum Catonem laudavit, et nullis non elogiis decoravit, cui ne quidem Caesar tum quum potuisset, struxit vitae insidias: ac ne ipsi propterea iniquior fuit Ciceroni, sed alium librum scripsit quem *Anticatonem* appellavit, qui simul cum oratione Ciceronis a nemine proscriptus, aut prohibitus, interiit. Philippicae in Antonium manent, quem ad summam potentiam erectum et Ciceronis acerrimum inimicum, iis ex orbe terrarum eradicandis credibile est omnia tentavisse. Iam Reinholdi commentarios non modo intra, sed etiam extra regnum manibus teri permultorum, etiam perdoctorum, in quibus si quid forte desideratur, ostenden-

dum est: non enim omnia simul possunt, ut par est, videri, et examinari. Typographus novis et ultimis exemplis typis vulgandis, anterioribus haud dubiae derogabit. Quantum ad Rescii, quae cum aliud contineant, eodem loco censentur, accusationes attineret, Regem, non prius eas imprimere jussisse, quam de se a Christophoro Zborovio certa etiam scripta per Germaniam disseminari cognovisset, quae, si cui ad iniuriam videntur esse exarata, praesto est remedium, ut is qui sibi injuriam factam esse putet, scripto vicissim respondeat, et suam innocentiam testatam reddat universis; se non posse, ac ne debere quidem subscribere scriptum illud in quo, ut coram rege novo de executione decreti Henrici regis responderet, ac cum adversa parte jure decerneret esset muneris sui; rationem ac necessitatem eum impulisse ad illam executionem persequendam, cum jure jurando, ut id fecisset, ac in Samuelem Zborovium (quem toties admonuerat ut ab sua juris dicendi praefectura abstineret) animadvertisset, adigeretur; se frui recte factorum conscientia, et ita in utroque magistratu gessisse se, ut nullius dicti, aut facti eum pudeat, aut poeniteat; *virtuti nunquam defuisse invidiam*, sed enim videndum num reipublicae expediret magistratum imminutam spectare potestatem, bonos, ac benemeritos de patria viros calumniis ac maledictis proscindi; eos denique, qui honorem et existimationem eorum defendissent periculis fuisse expositos in conventibus publicae pacis, et tranquillitatis fiducia coactis et constitutis; se paratum esse cuivis respondere omni legitimo loco atque tempore. Verum non jam ipsius, sed dignitatem regni tuendam esse Ordinibus, ut

jura, et laudabiles consuetudines publici boni comodo ab injuria vindicarentur. „

Haec fere illud scriptum, ac multo etiam plura et copiose luculenterque exarata continebat, quo in novlodislaviensi castellano ab archiepiscopo guesnensi ad se misso, reddito, statim ad alios etiam arietes, quibus illum conventum expugnasset, Cancellarius se convertit, ac toto quidem regno huc et illuc dimissis tabellariis novos per Palatinatus et Municipia indici conventus a palatinis amicisque, et amplitudini suae faventibus aliis enixe postulabat, in quibus ea omnia, quae praeter locum et electionis tempus Varsaviae fuissent decreta publico omnium consensu rursus abrogarentur, praesertim cum nec omnium, nec aequae consentientium scitu et auctoritate fuissent sancita, nec prius in particularibus conventibus, quod fieri solet, proposita. Haec a Lithuanis et Pruthenis cunctis, qui non nisi legatos suos in eum conventum misissent, approbata. Hac in re perficienda nullis sumptibus, nullis vigiliis, nullis parcebat laboribus, ac dies noctesque nulla re aut arte non adhibita, in id solum incumbebat ut adversarium suorum conatus et consilia infirmare quovis modo potuisset. Remissiores contra facti erant jam Zborovii et quibusdam iusolentiae exemplis superbisque vocibus de eligendo a se rege editis, nonnullorum animos abalienarant a se vehementer; cum rursus Zamoscusque prehensare omnes, et nunc ista, nunc illa re conflare invidiam Zborovii nitebatur. Vulgatum erat fama non obscure eos Maximiliani Archiducis Austriae favere partibus, et more et instituto veteri per vicina regna et provincias operam suam principibus venditare, ac que-

madmodum Henrici galli , et Stephani hungari electionis magna ex parte fuissent authores , sic et pro futuris electionis comitiis frequentissima nobilitatis suffragia , quae eorum auctoritatem secutura essent , nonnullis polliceri. Harum rerum fama erat in vulgus odiosissima , cujus occasione Cancellarius usus , Zboroviorum consilia , quam sibi constarent , pro re et tempore ostendebat : quippe antea austriaco nomini semper infesti cum fuissent , nunc tandem Archiducem Maximilianum creare regem niterentur. Ipse quidem de Sigismundo eligendo tam adhuc nil minus cogitavit ; quin adeo etiam ut ambitiosis quibusdam fucum , aut ad imperium sibi ipsi gradum occulto faceret , non alienum ab indigenitale aliquo in regem eligendo fore , cum eo ventum esset , aperte se profitebatur ; qui adeo popularis fuerat , ut nonnulli , ipsa etiam affinitate Zboroviis juncti , et ante id tempus Cancellario infensi , se minime ab eo abhorrere simularent ; qui , ut tauto etiam minus de ipsius erga se fide et constantiae dubitare potuissent , sygraphis occulto aliquibus datis , ita quidem , ut unus de sygrapha alterius nihil sciret , suum suorumque suffragium eis pollicebatur. Id ne in minori Polonia militare imperium , quod interregni tempore Ioanni comiti Tencinio palatino cracoviensi a Nobilitate ejus provinciae certatim deferebatur , Cancellario abrogaretur , procul dubio impedivit. Erat ille superiori etiam interregno , cum palatinus esset belzensis ad regiam dignitatem idoneus a Nobilitate habitus , et sive serio , sive derisus gratia cum Ioanne Costka palatino sendomiriensi Senatui propositus. Quare hoc nimirum interregno altero , bonae spei plenus

aut se, aut Ioannem Ostrorogium sororis suae filium certe in regem eligendum iudicabat. Is quippe et illustri genere, et pro aetate tam tenera, quam rerum usu mediocri, et denique ex calviniano catholicus repente factus non sine quorundam admiratione, spectabatur. Huic Zamoscius sororem suam viduam in matrimonium daturum, et in eo ad regiam dignitatem promovendo omnem operam navaturum et ipsius avuuculo sanctissime pollicebatur.

Quae res, ut occultissime et inter paucos ageretur, latere non potuit, quominus ad aliorum etiam aures pervolasset; minime enim frivola ejus est suspicio, qui, *quae inconsiderate ipse protulit, alios etiam conscios credit evasisse.*

Itaque Regina hac communi omnium fama eo etiam vehementius excitata, et a quibusdam non tam quidem ipsius, quam suis rebus servientibus persuasa Martinum Lesnovolscium castellanum podlachiensem ad Ioannem XIII. regem Sveciae legatum misit, Sigismundum ejus filium ad regni gubernacula postulatum; qua legatione et sibi et legato magnam conflavit invidiam, cum rem omnium pessimam minimeque perferendam, has sub interregno ad exteros legationes, passim omnes dicerent, et de Lesnovolscio, qui regem ante comitia electum ivisset, senatorque jam factus veterem consuetudinem, et institutum suum nihilominus prosequi non dubitasset, apertissime quererentur. Iam etenim ille superioribus etiam interregnis magno sane nominis sui probro huc et illuc cursitare didicerat, et pueritia non tam literarum studiis, quam lenociniis in Italia transmissa, statim ad aulicas artes animum applicuit, et primum Posonii, cum Rudolphus Cae-

sar in regem inauguraretur, cum Nicolao Volscio fuit, deinde vero ad interregnum in Polonia veniente, profectus est in Gallias a Petro Zborovio cracoviensi, et Nicolao Mazeiovio lublinensi palatinis cum Ioanne Schimanouio ablegatus. Ubi cum Henrico Andium Principi, Rupillam tum obsidenti notum se fecisset, eiusque demum electione in Polonia peracta, cum Nicolao Volscio in Gallias rediisset, et magnis quibusdam rebus et muneribus in Polonia ab eo petendis ridendum se praebuit, nec, in Poloniam cum eo profectus, illa quae sperabat utique obtinuit; ac denique ab Henrici discessu, tertio aditis Galliis, frustra majora beneficia a Rege, et a Regina matre postulavit. Quare dimissus, Romam se adire velle causatus, ad Ducem Ferrariae, quem, ambiturum regnum suspicabatur, profectus est, (12) et simul ex Italia rediens suam et Volscii operam in Masoviis, unde erat, ad austriacas partes adducendis Maximiliano Caesari operam venditavit. Quem cum in regni petitione nihil prorsus promovere potuisset, et simul cum Volscio caesarianis et ferrariensibus legatis, astu, aliquid pecuniae in electione emunxisset, nullius meriti conscientia, relicto mox Caesare, in partes secessit Bathorei; ac demum Ioannis Zamoscii, tum pro-cancellarii facti, assentatione, quaesita gratia a Stephano rege, invito illo quidem, qui adolescentis mores, et institutum vitae nil boni conscium esse arbitrabatur; pro-cancellario tandem, qui totum statim occupaverat regem aucthore, praefecturam lossicensem, quam pro sorore germana a morte mariti debebat apud regem impetrasse, arte non obscura acquisivit. Hinc de-



mum ambitiosi adolescens ingenii , polonicarum rerum et dicendi gnarus , senatoris etiam obtento titulo , multorum subinde aliorum patrimonii , maxime vero Volscii naufragio , etiam naufragii sui tabulas collegit , resque suas auxit , et in augendas perpetuo intentissimus fuit . At licet primum Reginae odiosus evasisset , expugnatis quorundam , qui multum apud eam poterant , animis , hanc in Sveciam legationem ab ea sibi decerni facile impetravit ; quae , nisi tantum in Christophorum Zborovium publicum omnium fuisset odium , qui , eo infamia notato authore constitui in Polonia Regem aegerrime patiebantur , vix non omnem illum eligendi Sigismundi Reginae conatum impeditura videbatur . Licet vero ipsa Regina non ignorasset quam difficile foret suadere patri ut unicum filium a se dimitteret quantumque periculi ex indigenitalis , aut Moschi electione privatim , et publice sibi futurum , quorum alter , Austriaco , aut Sigismundo excluso , haud dubie eligebatur ; tamen spes , quam metus apud eam plus valuit , ita ut , earum rerum , ac periculorum omnium oblita , et Austriaco ponendis obstaculis (id quod semel aggressa iniquior prosequeretur) se ipsam inflammavit . *Foeminae namque , ut semper oculos habent breviores , incensae cupiditate brevissimos sortiuntur .*

Coactus sub idem illud tempus conventus in Lithuania erat Msciboviae , pro quo Regina Stanislaum Paris capitaneum gnesnensem , iisdem de quibus dixi , cum mandatis misit , et Regis Sveciae , et sororis suae filium unicum Iagelloniae familiae palmitem de meliori nota Ordinibus commendavit .



Grata ea legatio Lithuanis fuit , ac id quidem responsi legatus habuit , quo haud dubie Regina potuit consolari .

Interim Nicolaus Volscius cum multorum aliorum , tum et Martini Lesnovolscii castellani podlachiensis veteris sui socii hortatu ad Caesarem est profectus , ut erga Archiducem Ernestum multorum in Polonia studia , et pro futuris regiae electionis comitiis propensam testaretur voluntatem . Hoc , eo fiebat consilio ut si Podlachiensis de Sigismundo abducendo apud Regem Sveciae nihil effecisset , Zboroviorum Maximiliani eligendi conatus eluderentur , aut tandem ipse ex Austriacorum principum liberalitate , cum tempus et occasio se obtulisset , aliquid consequeretur . Non tamen deerant qui dicerent Cancellarium , qui non postremus Volscio quoque proficiscendi author , eo potissimum respexisse , ut , illo interveniente , fratres inter se committeret , et illorum aucipiti contentione , vel potius aemulatione excitata , popularium favore aut se , aut quempiam alium polonum regiae compotem efficeret dignitatis . Hoc fere eodem Volscii instituto et Stanislaus Grodek extra regnum ivit , qui primum quidem cum Cancellarii literis ad Vilhelmum Rosembergium proregem Bohemiae , demum Ceuipontum ad Ferdinandum Archiducem Austriae profectus , et venditandis suis officiis utrobique nonnihil pecuniae est adsequutus . Hoc et Christophorus Pamaskus sancti Lazari Miles (13) et bellis Moscoviae superioribus turmae equitum praefectus tentavit , qui ad Italiae principes tres iisdem plane verbis scriptis , et transmissis literis , si certam pecuniae summam ad eum missent , pro se cuique regnum pollicebatur . Sed dedit

et ipse ad Reichardum Strein , quem multo ante Argentinae et Parisiis in studiis noverat , Cancellarius epistolam, quasi de aliquo aliquando principe Austriaco in Regem Poloniae eligendo consilia agitantur : se, prae ceteris omnibus Archiducem Matthiam promoturum, cujus Streinum sciebat esse palatii praefectum , promittebat . Quo ipso est factum, ut tot tamque variis cum postulatis austriacorum principum legati non sine admiratione, et aemulationis inter fratres suspicione in comitiis electionis postea spectarentur. Abhorrebat autem revera ab electione austriaci Cancellarius, sed nihilominus, si ex austriacis eligendus unus foret, ab Ernesto archiduce Austriae, qui popularior aliis videbatur, non alienum fore se ostendebat. Maximiliano quidem non tam ipsius causa, quam Christophori Zborovii gratia, erat infensissimus, quod is, eo auctore a Stephano rege proscriptus, et sub titulo *Reticii instigatoris regii* accusationibus tribus in vulgus sparsis a Cancellario notatus regnum ambire vulgo ferebatur. Matthias paucissimos habebat qui eum revera eligendum cupivissent, et si qui fuerant, emungendae pecuniae ergo id facturi videbantur.

De Sigismundo porro Sveciae regis filio eligendo in regem nihil eo usque Cancellarius habebat constitutum; quin adeo offensarum conscientia, quas, vivente Stephano rege, reginae ejus materterae fecerat, nonnihil etiam ab eo abhorrebat, et muliebri imperium grave et periculosum, eo electo, futurum, multo ante electionem voce et epistulis apud amicos testabatur. Sed nihil est incertius, quam in eligendis regibus exitus conventuum et comitiorum pu-

blicorum. Tamen adveniente conventu illo, et hominum animis partium studiis, et novi regis creandi desiderio inflammatis, non tam eum, quem animo aliquis designavit, quam, quem contrariarum partium contentio expressit, regem tandem est sortitus.

Primus vero, qui ante praestitutum diem Varsaviam pro comitiis advenissent, ipse Stanislaus fuit Karnkovijs gnesnensis archiepiscopus, pompa et habitu familiarium tali, qualis laetitiam, quam ex regia morte luctum aliquem magis praeferebat; quae res varie variis accepta interpretibus, archiepiscopi ingenium, alioquin suspectum levitatis, novi aliquid exciturum ominabantur. Celebravit is sacrum, more et iustituto majorum, in aede divi Iohannis Varsaviae, non sane expectatis Lithuanis, et multis aliis utriusque gentis senatoribus, quod ipsum, cum aliorum, tum maxime Lithuanorum animum, qui fere omnia per contemptum sui fieri opinabantur, vehementer exulceravit, qui ab altera fluminis Istulae parte suis tentoriis tensis, nisi arma de quibus vero etiam majora narrabantur, a Polonis posita, exercitusque dimissi, et suis postulatis satisfactum esset, in eorum consilium se venturos non esse testabantur.

Iam quippe partes offensae, Palatinus posnaniensis cum Zborovijs, et contra, Cancellarius cum suis, ac item Marschallus Opalenius armis copiisque instructi Varsaviam venerant, et Cancellarius quidem longe, quam ceteri, propius ad illud quod eligendo regi multis diebus ante designatum, et aedificio erecto constitutum esset septum, castra sua posuerat; qua ipsa re maiori quotidie laborabat in vulgus invidia, et novis suspicionibus, et rumori-

bus de se spargendis, ceu quamdam segetem, et materiam suggerebat; *nihil enim est invidiae propius, quam unum velle quamplurimis adversari.*

Duravit igitur inter Polonos et Lithuanos ea contentio diu, et inter alios Cancellarius, maxime ob castra loco electionis in vicinia posita, publicis concionibus omnium exagitabatur.

Interim eae quae adhuc desiderabantur externae legationes, et maxime austriacorum principum, secus quam aliqui voluissent, segnius adventabant, jamque non tam de externa, quam de interna restituenda pace omnes erant solliciti, cum quo spectarent res, non modo animi, sed corporis ipsius oculi intuerentur, et his adhuc gra viora cum metu et horrore in dies circumspectarent.

Constiterant jam quippe armatae, aliquoties, acies in oculis ipsius Senatus, et tanta tam in oppido, quam etiam extra oppidum caedium et maleficiorum passim et ubique fuit impunitas, ut ne legatis quidem externis eorumque familiaribus parcebatur; cui malo cum variis modis et rationibus consulere Ordines voluissent, tum imprimis illa stabiliendae pacis placuit ratio, quae in electionis comitiis, quibus rex Henricus creatus et renunciatus fuerat, observata, et proximo conventu laudata esse dicebatur.

Verum enim vero *turbatis rebus facilius est disquirere, quam exequi sanctiones.* Iam enim tantum abfuit, ut illarum rerum quid observaretur, ut eo etiam graviores motus et tumultus in dies cicerentur. Qua de causa ipsius etiam oppidi portae, Reginae sibi metuentis jussu, in aciem utrinque descendentibus copiis, custodiebantur, et vel in-

terdiu aliquando claudebantur. Denique in Cancellarii castris omnia nonnumquam trepidationis erant plena, et vix a continuo labore, fossa, et aggere tumultuarie erigendo, abstinebatur. Demum vero etiam Lithuanorum proceres in alteram Istulae transierunt partem, et tentoriis suis a loco electioni designato paulo longius tensis, per internuncios ultro citroque missos de rebus communibus cum Polois disceptabant.

Querebantur quidem initio hi de multis et magnis sibi per Polonos factis injuriis, et inter alia, Livoniae gubernationem Lithuanis deditam; cancellariam, et alia officia varie turbari per Polonos; Stephanum denique regem ipsum, non assentientibus Lithuanis, electum et inauguratum ab iis esse regem memorabant. Quibus rursus, nihil ad electionis spectare illa, comitia; regis requiri ad componendas tantas lites praesentiam; eundemque citra moram eligendum; privatas injurias obliterandas omnes; quae ante pedes essent, spectanda, et iis similia aliaque plura respondebantur.

Neque vero et Prutheni sibi volebant videri eodem tempore defuisse; at Lithuanorum exemplum protinus sequuti, suas etiam injurias Ordinibus proponere minime dubitarunt. Hae erant: Nobilibus ac benemeritis viris suas eripi facultates; varias exactiones et portoria terra fluminibusque constitui; dignitates et munera publica praeter indigenitates, externis conferri; causas graves extra Borussiam in regni Comitibus, non adhibito Borussorum consilio, saepe numero terminari; jura terrarum Borussiae vocari in dubium; Monetam suspectam cudi; Collegio varmiensi jus adimi liberum electionis a Re-

ge Dariae dantiscanae urbi concessum; Naves identidem detineri. Hoc vero non et Rigenses, impetrata sibi dicendi facultate : religionis Augustanae confessionem solum in urbe conservari ; privilegia reipublicae ambiguis clausulis demptis, quae in contrariam sententiam ab ea, quam ipsi ex verbis colligunt, alii conquirerent, claris et perspicuis verbis scripta confirmari ; Castellum ad Dunae ostium erectum submoveri postulabant (14).

His tam Lithuanorum, quam Prutenorum Rigensiumque postulatis audiendis quaraquam multum temporis inaniter teri, multo tamen majus et gravius periculum ex contrariarum partium studiis et concionibus ad Nobilitatem habitis, imminere videbatur. Quae quidem factiones erant potissimum duae; Zboroviorum, et Cancellarii. Ac illa primum Stephani Regis acta et decreta rescindere omnia, et simulatione virtutis multa multis sub eo licuisse, voce et literis ostendere conabatur. Cancellarium toto regno fuisse unum cujus nutu et arbitrio bona, et facultates reipublicae, tum adeo etiam cuncti distribuebantur magistratus; qui, eo ipso, Senatum, qui per quam illustris esse debet, reddidisset tandem obscuriorem, vilibus et juvenibus hominibus cooptandis in Senatum; ad se suosque retulisset omnia, hos beasset, extulisset solos; reliquos partim inedia fregisset, partim mentem oppressam praemio, et linguam obstrictam mercede aliorum tenuisset; qua demum ratione et Regem, et ejus molitionum administrum Cancellarium publicae libertati struere insidias nonnulli suspicabantur.

Quam recte id quidem, eventus ipse postea declaravit. Quorsum enim affinitatis regiae spectabat

ille nexus, res post hominum memoriam nova, et in hoc regno inaudita? Quorsum tot Hungari prae nobilibus polonis majori sumptu et munificentia regia in aula erant sustentati? Quorsum ex infimis sortibus Vesselinus tantus et tantis auctus opibus spectabatur, auri et argenti dives ex munerum facultatumque reipublicae nundinatione? Qua in re unus blandiebatur alteri; qui vero eorum obstabat cupiditatibus vel in jus post aulam vocabatur, vel ejus notandi, regia dextra negante, Cancellarius et Vessellinus fiebant authores; quem rursus spe et mercede ad assentandum inductum augebant honoribus, et partim ipsos se credulitatis, partim alios arguebant levitatis. *Qui enim sibi contrarius est, hic non alienum factum, sed sui ipsius reprehendit institutum.* Quae ipsa res tantae admirationi fuerat, ut, cum aliquando Stephanus rex manum in Senatu negasset cuidam, *num senator etiam creandus foret* a circumstantibus quaereretur; *cum enim omnium, tum maxime regum, etiam minima observentur dicta atque facta, deceatque eos vitae et consiliorum aequabilitas quaedam singularis.* Haec tamen cuncta partim ingenuitatis regiae specie tecta, partim mera potentia erant defensa.

Mors interim, *praeteritorum testis, et lux veritatis patefacit omnia, et quam liberum sit in ipsos etiam reges hominum judicium facile declaravit;* non quod idem ille Rex suas etiam non habuerit laudes, sed quod odiosum ac ne ferendum quidem fuit unum apud eum omnia potuisse, et aliis, non deterioribus meritis, praeteritis, tantas tam brevi tempore ex reipublicae bonis coacervasse sibi facultates. *Magnae enim opes magnis, ut ple-*

rumque fit, artibus, et majoribus conatibus agrediendis comparantur. Quod vel inde intelligi posset quod duo potissimi toto regno magistratus, belli nimirum Ducis et Cancellarii, ab uno eodemque illo administrarentur; quod aulici regii pecuniam et suppellectilem regiam Grodna etiam, nescio quo, auctam questi essent; et quod tanto cum exercitu pro liberis electionis comitiis Cancellarius cum advenisset, excussis iniqua et praepostera distributione bonis reipublicae, tantae ac tam graves non modo inter Ordines, verum etiam inter homines omnes essent simultates; quo postremum auctore vendita Borussia, gedanense bellum temere gestum, (15) nulla certa pacta, et foedera cum vicinis regibus constituta fuisse memorarentur; quarum rerum omnium, qui iudicium nobilitatis subterfugeret, hunc et turbulenta aliqua ratione commodis et amplitudini suae esse velificaturum non temere quidam suspicarentur, et nullis invidentiae causa, sed ipsius reipublicae gratia iurium correctionem, electionem et multa alia in Ordinum diligentem disquisitionem venire debere affirmarent. Qui enim sibi et causae suae fidit, hic iudicium Ordinum minime refugit, et luce, quam tenebris potius delectatur. His fere similibusque verbis Zborovianis a partibus tota comitia personabant.

E contrario, factio altera Stephani regis facta et decreta probabat omnia, et Zborovios non obscure accusabat levitatis; qui non modo de mortuo Rege, sed et aliis omnibus fuissent suspectissimi, (16) et apud vicinos reges atque principes venditanda in electione opera, polono nomini conflasset invidiam et maculam inussissent sempiternam, qui quidem

frustra de fortuna quererentur cum suis moribus ejus conditionem sibi effecissent duriorem . Deum quippe optimum maximum arbitrato suo omnia disponere , principesque viros virtute , non invidia certare inter se oportere ; Regem demortuum principem optimum fuisse , et gratiam , non contumeliam meruisse , qui ut adeo aliquorum vitiorum expers non fuisset , non amplius larvis esse certandum , et propter praestantiam virtutis vitiis aliquid condonandum . Regum porro electiones novas minime in republica appetendas , quibus , ut corpora alternis temporum vicissitudinibus , status ipsius qui ietus turbaretur . Testamentum etiam regum minime habendum irritum , quum ne privatorum quidem testamenta rescindantur ; neque eos qui apud Regem pollebant gratia , propter invidiam opprimendos , cum in more et consuetudine principum sit , fueritque semper positum unius , quam alterius consuetudine laetari ; legum correctionem , quam altera factio flagitaret , videri quidem necessariam , sed tamen non esse illius loci atque temporis , et cum cito , tum pacatis animis ad electionis ipsius Regis accedendum ; quae qui nollent , eos non omnium optime mereri de patria ; et communi , quam suo incendio cupere potius conflagrare .

His et ejusmodi concionibus auspiciatis comitiis , res in diversum trahebatur , et una alteri factio in multitudine concitabat invidiam non sine suspitione levitatis .

Interim tandem Austriacorum regum quae in maxima expectatione fuerat , supervenit legatio , amplissimis viris , et maximo comitatu perillustris . Erant Caesaris legati tres ; Stanislaus Paulovius o-

lomucensis episcopus, Carolus Dux Auensterbergensis et Ioannes Cochzicius Caesaris Consiliarius. Archiducum Austriae: Ferdinandi, Comes Zollernus et Gairleofferus; Ernesti, Machiaslogus; Matthiae, Uldericus Streinus; Maximiliani, Christophorus Tyffembachius, quibus fere omnibus Poloni quidam ab ipsis Archiducibus adhibiti fuerant ceu consiliorum directores, sed non peraeque omnes tam promissis suis, quam Principum suorum satisfaciebant postulatis, inter quos Nicolaus Volscius partibus Ernesti promovendis in primis notabatur. Hic in Rudulphi Caesaris aula diu versatus, magnoque in honore habitus austriacis principibus malam rependit gratiam quum, Maximiliano electo, Cracoviam proficisci, et Cancellario se contra eum adungere minime dubitaret. Ioannes Rosnovius polonus ab Archiduce Maximiliano Vienna pro comitiis missus, cum in vicino Varsaviae oppido Blonium dicto vehementius inebriatus fuisset, antequam Varsaviam attingere potuisset in itinere est extinctus. Erant porro in eo conventu plena nundinationum, licitationumque omnia, nec cui parti tuto aliquis applicare se potuisset initio sciebatur. Ex Polonis Stanislaus Gorkanus et Zborovii fratres; ex Lithuanis Radiviliones duo, cardinalis, et ejus frater castellanus trocensis austriacorum potissimi promotores spectabantur; sed illud unum ut jucundum singulis, sic perniciosum iis, qui austriacas sequebantur partes, fuit tandem universis, quod Zborovii, Maximiliani: et Radiviliones, Archiducis Ernesti volebant dici, et esse electionis authores; quae res vulgo suspectae, nec satis sinceræ inter fratres argumentum videbantur voluntatis.

Regina e contrario solius Sigismundi Sveciae regis et sororis suae filii causam obstinate promovebat, cui ultro promiscuae nobilitatis studia non tam quidem animi propensione aliqua, quam motu et odio Zboroviani dominatus, Andreas Opalenius regni Marschallus, et Ioannes Zamoscius regni Cancellarius, atque item Dulcius Thesaurarius regni multique praeterea alii etiam ante electionem tandem adhaesuri credebantur. Erant his cum factione Zboroviana vires propemodum pares; quae, quam libera civium suffragia, aut externorum principum postulata, in electione nullis legum cancellis circumscripta, creditum est semper valere plus debuisse.

His accessit Christophori Zborovii importunus pro electione adventus, qui variarum nationum hominibus proscriptis stipatus, locum etiam inter reliquos suffragatores regni, nihil eo obstante quod a Stephano rege infamia notatus fuisset, usurpare sibi haud quaquam verebatur. Iam et praeter Caesaris ipsius Archiducumque legatos, Catholici Hispaniae regis Vilhelmus de S. Clemente, omniumque Imperii Electorum spectabantur oratores, ac etiam in ipsum Pontif. Maximi nuncium apostolicum Annibalem Capuanum archiepiscopum Neapoleos tam Reginae, quam et aliorum maximeque haereticorum conversi erant oculi, qui tandem et ille favere, episcoporumque suffragia, si posset, conciliare voluisset, praesertim quum an Sigismundus Sveciae regis filius revera catholicus esset non usque eo liqueret. Pater quidem ipsius a religione catholica non obscure abhorrebat, qua occasione *Piastum*, idest indigenitalem, eligi in regem posse non nemo conjectabatur, et interim tamen haereticorum qui-

dam Reichardo Streino Archiducis Austriae legato ejus principem , prae caeteris austriacis , eligi facilius posse occulto promittebant . Quorum consiliorum praecipuus author Nicolaus Przezlavius Crupka ob non alienum Archiducis Matthiae ab Evangelicis animum in Belgio etiam declaratum , fuisse dicebatur . Quae non tam quidem Austriaci nominis , et familiae studio fiebant ab eo , quam cupiditate pecuniae ; cujus non parvam copiam superioribus etiam interregnis , suscepta in Gallias et Transylvaniam Zboroviorum cum mandatis protectione , eo nomine multis emunxit . Streinum quidem , ne facile fidem eorum dictis haberet , opportune Cancellarius admonuit , quamquam re ipsa , iis , quae rursus fecerat ille Streino non staret promissis ; nihilque minus , quam de Austriaco aliquo in regem Poloniae eligendo aliquando cogitaret . Ad eum modum multis , multorum principum legatis Varsaviae congregatis , regnumque ambientibus , Piastus , qui aut numquam , aut occulto saltem illud petebat , suas etiam in electione habiturus esse partes , et eas non postremas , credebatur .

Hujus promotores erant quidem multi , sed inter se divisi capitibus , sicuti externo non inviti omnes obstantes ; sed non statim etiam eum , quem alter voluisset , alter in regem accepturus videretur . Accedebat quod facilius non nemiui fuerat suae gentis studia generatim , indigenitali praedicando pro concione , excitare , quam postea et veritate ipsa in publico Ordinum consessu eum , qui tanto oneri ferendo par esset singillatim manifestare . Nihilominus ut spes ad multos , exitus ad unum tantum recasurus videretur , variae et mul-

tiplices ea de re agitatae sunt sententiae , nec qui in aliquam potiundi regni spem erectus jam fuisset haud dubie desiderabatur . Inter quos , si non spe , cupiditate summa certe , erat ipse Cancellarius , qui nobili loco , sed non ampla neque praecipua familia inter suos natus , cum inde a teneris annis variis in gymnasiis , et provinciis animum literis excoluisset , in eam eruditionis opinionem venit , ut inter aequales popularesque suos potissimum emereret , ac primum quidem in patavina academia qui vulgo dicitur Rector , (17) mox in patriam reversus Sigismundo Augusto Poloniae regi a secretis fuerat . Demum vero ad majora perpetuo tendens postea quam honorificis apud exteros legationibus functus esset , a Stephano Bathoreo rege , cujus partes contra Maximilianum Caesarem in electionis comitiis sequutus est , pro-cancellarius , ac mox et Cancellarius regni est creatus in quo munere quum duas et antea tertiam , nobilissimas conjuges , et amplissimas quatuor regum munificentia sortitus esset facultates , summus exercituum dux occasione moscovitici belli ab eodem rege in castris est renunciatus . In quibus duobus magistratibus quum non minus prospere ac feliciter , quam considerate etiam et scienter regi et reipublicae operam suam navasset , magna quidem passim , et ubique invidia flammans , quòd tot tantisque in rebus excelleret , aliisque post se tendentibus gradus amputare , nec prioris conditionis suae meminisse velle vulgo diceretur , nullos non ad honores et amplitudinem toto regno aspirabat (18) .

Hujus igitur et aliorum permultorum , qui indigenitalem , vulgo piastum dictum , eligi cupiebant ,

cum ultro citroque sermones sererentur ea potissima erat ratio sive oratio : primum quidem praeceptum divinitus esse ejusdem linguae et nationis hominis, quam longinqui et alienigenae in electione majorem habere rationem; deinde minorem fore ejus electionis invidiam, et nullum argumentum discordis in populo voluntatis; accessuram linguae, legum, et consuetudinum patriarum in tali rege cognitionem non vulgarem, quae non modo ornameto, verum etiam adjumento maximo in gubernanda republica ei futura videretur; non fore necesse multis et maximis legatis et ancipiti exitu mandatorum eum aliunde evocari; pericula, quae expectandis externis auxiliis, reipublicae occurrere possent, indigenitali, quam alienigena potius electo, e vestigio cessatura; ipsum, ut maxime egeat, fore abundantissimum, non modo Ordinibus, sed hominibus omnibus nihil non ad nutum ejus conferentibus, namque est magis in suum, quam in externum animi semper propensio; et ipsius vicissim regis in hujusmodi subjectos benevolentia.

Qui ex adversis noluisse Piastum his fere argumentis nitebantur: divinum illud praeceptum ad Iudaeos olim spectavisse; nunc esse unius seminis et nominis omnes, qui sacro fonte abluti, et ejusdem religionis nexu ab arctiori, quam ullo alio vinculo inter se conjugati spectarentur; dignitati porro et amplitudini regibus eligendis esse serviendum; et ut multos aptos, regum filios videri aptissimos reipublicae gubernandae; linguae vernaculae ignorantiam minimum esse in rege, qui aliena lingua magis loqui, et auribus audire consuevisset.

Multo vero majora expectari semper commoda

et ornamenta ex amplitudine regis electi familiae, cum conjugatae vires majori semper usui esse possent, et illustres successores, si ad regnandum idonei essent regno decori fore videbantur. Exterum fuisse Stephanum, et tamen minime rudem patriarum sanctionum; in eodem vero vicissim apparuisse, quae authoritas constet iis, qui non regio sanguine orti in libero praesertim populo gubernaculis potirentur; denique nihil eo ipso Piasto odiosius mox futurum, partim propter ipsius, partim propter amicorum et affinium illius egestatem, quibus satiandis infinita opus esset pecunia; ea vero semel negata sequeretur tyrannis, et tam regis in subiectos, quam subiectorum in regem perpetuae molitionis et crudelitatis vicissitudo.

His et ejusmodi ratiocinationibus impetitus Piastus nutare quidem aliquando, mox et erigere caput rursus videbatur, quoad tandem Poloni et Lithuani, communicatis utrinque consiliis, exterorum regum et principum legatos audiendos judicaverunt, qui honorificentissime a senatoribus ex suis hospitibus in Ordinum consessum deducti principum suorum mandata publice protulerunt.

Ac primus quidem qui verba faceret Annibal Capuanus (19) archiepiscopus Neapoleos Pont. Maximi legatus, fuerat: vir gravis et disertus.

Hunc statim sequutus est Paulovius episcopus olomucensis orator Caesaris, qui cum artificio orationis, tum dignitate ipsius actionis auditorum animos excitavit.

Nec mora Vilhelmus de S. Clemente regis Hispaniae legatus eodem illo die pauca praefatus, quantae utilitati Austriaci regis electio regno Polo-

i. 97
 niae, et cunctae christianae reipublicae futura esset, oblatisque regis sui, Ordinibus, literis, luculenter declaravit. (20) Caesareos et Hispanienses legatos sequuti sunt Theodori magni ducis Moscoviae legati, mandata principis sui exponentes.

Demum Wolffangus Covracius Cancellarius Transylvaniae sui principis nomine, et Ioannis Marchionis Brandenburgensis, ac in Borussia Ducis Levinus a Balow legati perorarunt.

Henricus Sparre regni svecici pro-cancellarius et comes Henricus Prahae regum Sveciae oratores non prius quidem sua exponere voluerunt mandata, quam de regis sui prae Moscho loco, et gradu ipso dignitatis, libris et monumentis publicis quaedam testata reliquissent. Aegre quippe ferebant prius auditos fuisse legatos moschoviticos, quorum principem ipsa adeo oratione ad Ordines habita graviter perstringere minime dubitarant. (21)

Postremi omnium, Electorum imperii auditi sunt oratores, qui familiam Austriacam, ex qua tot et tantos habuissent Caesares de meliori nota Ordinibus commendabant. (22) Ab his porro actibus et deliberationibus publicis fere semper aberat Cancellarius, nec nisi a Gorkano ac Zboroviis provocatus se et exercitum suum nunc intra, nunc extra aggerem ostendebat. Agger erat minor, quam forte disciplinae ratio postulabat, opere erectus tumultuario, tormenta bellica, non admodum in exercitu ipsius multa, exercitus ipse tam pedibus, quam equitibus plus usu et exercitatione conlligendi, quam numero ipso formidandus, a quo Ioannes Iordanus sandocensis praefectus, nova nescio qua

causa obtenta, non sine quidem Cancellarii querela, et quasi non servatae satis fidei exprobratione in partes Zborovianas secessit; quae res ut hostibus Cancellarii animos dedisse, sic ille rursus ademisse videbatur. Interim tamen nihilo Austriacorum principum causae ab iis, qui eam promovendam defendendamque susceperant, melius est provisum.

Helluabantur in castris Palatini posnaniensis omnes, et ipsi Zborovii terroris gratia magis, quam ut serio rem aggredi vellent sub signis exercitum multoties educebant. Conclusa aliquoties in Cancellarium molitio nescio quae fuerat. Quod cum ille per exploratores didicisset, unam et alteram noctem duxit insomnem; sed, vel ipso Christophoro Zborovio auctore, qui nihil non tentaturus cum venisse credebatur, non modo perfecta, sed ne effecta quidem aliqua in eum molitione, tandem ex comitiis est discessum. Nec mora, quod jam pridem, ex quo in conventum venerat, timebatur, Archiepiscopus gnesnensis verborum nescio quas contumelias a Palatino posnaniensi in se jactas causatus, ab ejus et Zboroviorum conciliorum communione se disjunct, et peculiarem quemdam conventum vicino in loco, quem Nigrum-circulum vulgus hominum appellabat, sibi instituit. Erat revera Gorkaus iracundus, et tam ab eo, quam ab aliis in publico illo Ordinum consessu tum Archiepiscopus, tum quidam etiam nonnulli inhumanus tractabantur; sed e contrario mobilis admodum et ventosus erat archiepiscopus, et qui superioribus etiam interregnis, ac toto denique vitae suae tempore varius et multiplex semper memorabatur exitisse. Quae res doctrinam et castimoniam multasque alias virtutes

haud dubie in eo obscurabat. *Est enim virtutum omnium custos constantia , et nihil est augustius laudibus firmitatis.* Huic igitur a Gorkano et Zboroviis discedenti Ioannes Baranovius episcopus presmiliensis, Andreas Tencinus cracoviensis, Stanislaus Criskius Masoviae , Gregorius Zelenski Plociae , Constantinus Ostrogiensis dux Kioviae palatini, et Andreas Opalinski Marschallus regni et Cancellarius Zamoscius adiunxerunt . Observabant hi occasiones omnes diligenter , et , quod facile factu fuerat , Zboroviorum nomini conflare invidiam , ac per id Maximiliani archiducis irrita reddere nitebantur postulata.

Opportune tum quoque iis ex Svecia Martinus redierat Lesnovolscius podlachiensis castellanus, qui publice quidem, Reginae metu, summa quaeque de Sveciae regis filio, occulto, viris quibusdam secus narrabat , quòd Archiducem Ernestum, a quo ejus intimus socius Volscius redierat, eligi posse regem adhuc opinabatur. Sed interim Regina , suae sororis, quae non defuit causae , et Caspari Sadlokio secretorum suorum omnium conscio , dies noctesque ad Archiepiscopum submitiendo, animum ejus partim vacillantem expugnare, partim expugnatum confirmare conabatur . Non obscure is egestatem et voluntatem discedendi ex comitiis suam aperiebat omnibus , praesertim vero Prziemio et abbati Trzemesuerensi, qui postea. ea quae dixisset, quae vè facere voluisset aut ipse , aut per Sadlokium Reginae indicabant, quae animo ipsius, pecunia in sumptus quotidianos, ut velum turpitudini obduceret, tentato, non difficile tandem expugnavit. Sic tum demum ille veluti circeo poculo

una vel altera nocte immutatus; cum paulo ante apud Episcopum olomucensem Caesaris legatum, cruce, quam in pectore gestabat, Numinis reverentiae ergo, deosculata, se non alium quam Austriacum principem regem renunciaturum pollicitus fuisset: se cum Germano domum redire nolle publice est professus, quumque num Svecus, Germanus, imo ex populis non modo Germaniae, sed et terrarum ultimis num esset quaereretur, eum minime sibi videri respondit. Erant quippe quatuor potissimi eo conventu candidati, qui in ore et deliberatione omnium versabantur, Austriacus, Svecus, Moschus, et Piastus; ac de Piasto quidem cum dictum ante sit, de reliquis, quae ultro citroque in disquisitionem venerint, dicere persequamur.

Austriacum ob generis tum claritatem, tum bonitatem educationemque singularem, familiaeque item amplitudinem et potentiam turcicis viribus et conatibus recte, et necessario opponendam, regnorum et populorum, qui sub Caesare essent, antiquissima societatis foedera et mutua commercia; propter denique veterum injuriarum memoriam novo beneficio oblitterandam eligendum, si non plures, saniores certe judicabant (23). Haec eadem aliis fraudi, quam aut commodo aut ornamento reipublicae magis futura videbantur: quo enim rex esset electus illustrior, et in exhausto jam ante regno majora tributa desideraturus semper, et quanto plus vicinus, tanto, et libertatibus opprimendis periculosior; et quòd Austriacus Turcae, quocum pacem servare, quam componere praestaret, magis foret invisus et suspectus (24); negotiationes et commercia quod spectaret, quicumque tandem electus rex

fuisset, communis utilitatis ergo iri servata; injurias vero antiquas novo non aboleri beneficio; neque expedire eos, qui naturali quodam odio inter se dissiderent, novo amicitiae et benevolentiae jure inter se copulari, minime valituro ad prosperitatem; Svecorum familiae Jagellonicae optima in regnum merita, et, sermonibus quorundam, iudoles, fama aucta; linguae polonicae cognitio, spes ejus Livoniae partis, quam pater possedisset regno adjungendae; doti, et pecuniae Sigismundo Augusto regi mutuae ab eo datae renunciatio; classis in mari balthico svecicis sumptibus instruendae pollicitatio, et quaedam alia commendabantur. Haec eadem e contrario: quòd pater Lithuaniam haereditatem filii appellasset; quòd filius molliuscule educatus, et ad tanti imperii administrationem aetate ac disciplina minus idoneus esset; quòd Livoniae partem Polonis vel Lithuanis sine pretio pater non cessurus, aut classem exstructurus, nec filium quidem unicum a se dimissurus crederetur, et similia memorabantur.

Theodorus Moschoviae dux propter contiguitatem et amplitudinem imperii, et linguae aliquam similitudinem multitudinis se insinuarat animis, maxime autem promiscuae nobilitatis in Lithuanis, quae potentiam sibi auctura, et Polonis dominatura videbatur. Verum et haec: more et instituto majorum polono lithuanoque nomini infestus animus, valetudo gubernationi inepta, illum in ambitu regni facile retardabant. Ipsum etiam Sigismundum Bathorem palatinum Transylvaniae, et ejus patruales fratres, quos Imperatoris turcici nomine Princeps Purpuratorum (25) Ordinibus commendabat, vel ea ipsa suspectos reddidit commen-

datio, cum id, Cancellario auctore, factum fuisse, nec peraeque, ut sperabatur, suffragia multa Bathorei habuisse viderentur.

Soli ergo, qui in ea electione primas tenebant, restabant Svecus et Austriacus; hic non tam multitudine, quam et potentia factiosorum; alter auctoritate Reginae plurimumque senatorum suffragiis, et ipso denique favore subnixus populari; quam cum ante electionem et jam in electione ipsa Archiepiscopus et multi alii proceres leviter apud se pendere minime dubitassent, tandem, divisus inter se Austriacorum promotoribus, ac vehementi odio Zborovianae factionis, firmiter amplexi sunt, et communicatis cum Regina consiliis, eligere regem non dubitanter voluerunt.

Erat electioni regiae, aedificio quodam extracto, aggregata et fossa circumducto, designatus locus, cujus cum in vicinia castra sua posuisset Cancellarius, occisusque sacerdos quidam casu ibidem fuisset (26), noctu aedificium illud, igne, ut credebatur, imposito, magna ex parte conflagravit, a quo et Archiepiscopus tandem ipse discessit, aliumque legitimum locum, extra quem, eum qui regem eligere vellet diris devovebat, accedente Marschallorum utriusque nationis auctoritate, publice designavit. Quorum verborum paulo post oblitus (ut dictum est) dissimilis sui factus, summo mane venit in castra Cancellarii, et quasi agnoscens coram eo culpam, aliis se conjunxit senatoribus, et Sveciae regis filium regem appellavit, et repente, quasi malefacti alicujus conscientia, huc et illuc circum spectans, in oppidum tumultuarie se recepit, in quo eadem die quidam

in aede divi Ioannis sacram *doxologiam* (*Te Deum laudamus*) cecinerunt .

Aberant autem ab eo electionis loco, ex Archiepiscopi nominatione Lithuani omnes, nec unum vel minimum in tota natione lithuanica suffragatorem Svecus tum sortiebatur . Aberat frequens alia nobilitas, et Gorkani et Zboroviorum factio universa, quae licet ab aliis extra illum priorem locum evocaretur, tamen non nisi ubi omnes et legitimo loco in unum convenirent, Lithuanique adessent adfore se illa profitebatur . Quod eo etiam vitabat magis quia per acclamationem populi Moschum aut Piastum eligendum nonnulli dictitabant (27). Ea tamen praepostera, et ante quam per palatinatus in suffragia itum esset non expectata Sveciae Regis filii electione, omnes permoti murmurare primum, mox etiam libertati vim publice inferri exclamare non dubitaverunt . Erant horum duces et antesignani Zborovii, sed et Lithuani non minori iracundia et furore ferebantur, quorum multi, praesertim vero nobiles, Moschum ante alios declarari regem exoptabant . Igitur postea quam per Palatinatus, et Municipia de eligendo rege in solito illo et legitimo concessus loco sententia diceretur, haud dubie omnes de vi sibi illata acerbissime querebantur; sed ut, Zboroviis authoribus, eum pro se quisque locum cepisset, rariores quidem certe in eorum sententiam pedibus discedebant . Interim Regina Palatinum plocensem et Castellatum Lanciciae in eum electioni designatum locum ad Ordines misit peti- tum darent veniam electioni factae, et Sigismundum Sveciae regis et sororis suae filium, tamquam ultimum domus Jagellonicae palmitem, a qua et

generatim omnes, et speciatim singuli ducentis amplius annis magna beneficia retulissent, pro eorum rege acceptarent. His non satis cum laeto responso discedentibus, venerunt Radiviliones ex Lithuanis duo, qui suffragia sua Maximiliano Archiduci Austriae mira orationis gravitate et prudentia condita detulerunt; quod antequam fecissent ultro ex Ordinum consessu se ipsum subtraxit Christophorus Zborovius, ne ob proscriptionem suam, Radivilionibus in communionem aliorum advenientibus, remoram aliquam electioni Maximiliani iniecisset. Miserant quippe jam antea etiam Lithuani Ioannem Illebonicum trocensem palatinum et Sapiheam Lithuaniae pro-cancellarium ad eam, quae Maximiliano favebat, partem, ut rege a novo abstererent renunciando postulatum; laborare se ne altera quoque pars ulterius progrediretur regis sui electione prosequenda; quo fieret ut in aliud magis opportunum tempus regiae electionis comitia utrinque rejicerentur. Id si adeo ab utraque parte impetrari minime potuisset, rem postulabant sorti esse permittendam, ut tandem aut Svecus, aut Austriacus, aut Moschus, aut ipse denique Piastus divina voluntate, quam humano favore et industria, sortitus regnum magis iudicaretur; sed excitata semel inter pares contentio, *non nisi paribus ictibus terminatur*. Agere tum Zboroviana eo magis factio ut per Palatinatus iretur in suffragia, et rex constitueretur is, qui contra temerarios aliorum conatus libertatem publicae electionis vindicaret. Maximilianus quidem Archidux Austriae esset unus, qui in regem electus praestare id posset et deberet; rem vero exempli pessimi ad posteritatem

nullo modo relinquendam . At instabat iam , fere cum haec dicerentur , crepusculum , ante quod iidem illi Radiviliones duo , partim quòd a Lithuanis suis revocabantur , partim quòd Cardinalis appellare Maximilianum certo consilio refugiebat regem , siue mora discesserunt ,

Interim , conspecto Cancellarii extra vallum exercitu , artibus ejus cognitis , qui eosdem illos , qui jam ante Sveco suum detulerant suffragium , rursus in illo circulo Moscho aut Piasto , qui alios ad idem faciendum excitassent , contrariaeque partis contentionem retardassent , ad suffragandum submittebat , omninoque eam electionem infectam videre cupiebat , urgere regis renunciationem omnes non dubitanter incoeperunt . Episcoporum , quibus id magis conveniret , in illo inter eos consessu aderat tum nemo , praeter solum Iacobum Vorocenium chiovensis episcopum , qui nec dum a Pontifice confirmatus eam provinciam a Gorkano impositam haud ita invitus demum susceperat , et episcopali habitu indutus Maximilianum regem , omnibus acclamantibus , appellavit (28) . Quae usque ad primam noctis horam electione protracta , in oppidum tandem est discessum .

Erant Caesaris et Hispaniarum regis omniumque Austriacorum principum uno in loco apud olomucensem Antistitem congregati oratores , qui statim accepto nuntio vehementer gavisii sunt , et nuntiantibus munera plurimis tribuerunt . Discessit vero eo ipso momento Ioannes Choniscius in Austriam , regi suo quamprimum eam electionem nuntiaturum . Interim variis vocibus personabat Varavia , nec satis securi ipsi Austriacorum regina

legati, quorum pecunia nonnulli concepti in perniciem patriae electionem geminasse vulgo fere dicebantur. Sed compertum est *ubi multum suspiciorum, ibi non parum etiam aliquando inesse falsitatis*. Iam enim ut ab austriacis legatis datum sit pecuniae aliquid, non minoribus etiam largitionibus Regina ipsa notabatur, quae una eademque re multis et diversis promittenda, et secreto huic et illi subministranda pecunia, omnino illam Sigismundi electionem ad optatum a se exitum perducere conabatur. Ac tantus quidem ab electione terror utriusque partis injectus erat animis, ut Cancellarius quum, justo stipatus exercitu, ad Reginam in oppidum ingredi minus auderet, octo saltem comitatus clam proficisci non dubitaret. Quo loco Zborovii, qui vindictae de eo sumendae videri volebant cupidissimi, ignaviae non obscure notabantur; *factis quippe, non fictis rebus animum cujusque homines metiuntur*. Postridie ejus diei quo Maximilianus rex appellatus est, ii qui eligendi illius fuerant authores, in Bernardinorum suburbana aede *doxologiam* cecinerunt, cardinali Radivilio celebrante sacrum, Marschallo Zborovio ad aram, magna in hominum frequentia, et acclamatione eundem renunciante Maximilianum, quo, cum ii, qui eum elegerant, ex castris palatini posnaniensis egressi oppidum versus proficiscerentur, Regina, ne quid turbarum darent, neve in aede Divi Ioanni sacram *doxologiam* canerent verita, oppidum ocludi fecit, et mox a meridie consilium cum suis in arce habuit quid de reliquo regiae electionis tuendae negotio, dimittendisque in Sveciam legatis facto opus videretur. Solus tamen fere inventus est Podlachius, qui, alacriter suscepta

provincia , re tam dubia et odiosa , in Sveciam rursus proficisceretur . Aperte , quippe Lithuani omnes (duobus tamen exceptis fratribus , cardinali , et castellano trocensi , Radivilionibus) utriusque regis electionem improbant , et tam cum lithuanicae , quam magnae Poloniae nobilitatis numero , duos non legitime neque libere , sed praecipuarum quarundam familiarum potentia , libertate suffragiorum oppressa , electos esse reges testabantur ; parumque abfuit quominus Moschum quidam alii tertium regem renunciassent , quòd hunc totius nobilitatis lithuanicae , et magnae partis polonicae potissima studia habiturum prae ceteris testabantur ; quod de hac injuria publicae illata libertati , scripto in publica monumenta inserto , conquesti sunt , et id se tandem aliis quoque significaturos , nec non et effecturos esse receperunt , ut , nova et legitima electione decreta , concordibus omnium suffragiis (quod optatu , quam speratu facilius videbatur) rex crearetur .

At enim ii , qui Maximiliaui eligendi fuerant auctores nihil propterea cunctati cum Rudulphi Caesaris et Philippi Hispaniarum , ipsiusque Maximiliani electi regis oratoribus conditiones promissas jurejurando ab iis edito firmarunt , decretumque electionis per legatos suos praecipuae auctoritatis viros deferendum confecerunt , nec non literas scripserunt eodem tempore quamplurimas ad Pontificem Max. , ad Caesarem , ad Hispaniarum , ad Sveciae reges , ad Archiduces Austriae , ad romani Imperii Electores , et ad ipsos denique Turcarum et Moschorum Principes , quibus ii , qui Maximilianum elegerant regem , facti et consilii sui explica-

bant rationes , et eorum , quorum fidem et auctoritatem sequebantur, opem et auxilia mature implorabant. Erant quippe iis prolixè promissa illa ipsa auxilia , et si vel decem tantum Austriacum principem toto regno elegissent , eum, nec se, nec illos deserturum legatorum non nemo pollicebatur. Quo, facilius, ut electionem ipsam, sic ad acceptandas, jurejurandoque confirmandas conditiones est progressum, quas hujusmodi constat fuisse: primum quidem Rudolphus Caesar octingenta florenorum millia in aerarium regni polonici se importaturum promittebat , quibus si ob Austriaci regis electionem Turca aliquid moliri in Poloniam vellet , milites in stipendia conducerentur, et regni confinia defenderentur.

Quod si adeo major vis aliqua et periculum regno a Tyranno immineret , daturum Caesarem operam ut Pontifex Max., Hispaniarum rex Catholicus , ipsique omnes Austriaci principes et Imperii status, et praesto illi essent, et magnum Moscoviae ducem in eandem foederis contra eum societatem sibi etiam aggregarent.

Item controversias omnes , quae Poloniae regno de Borussia, et de Livonia cum romano Imperio intercederent sopitum, et de barensi negotio (29) cum Hispaniarum rege acturum , et narvicam denique navigationem , anseaticarumque urbium societatem restauraturum se esse pollicebatur ; ita ut renovatis antiquissimis cum Hungariae et Poloniae regnis foederibus, pace firma, opibus florens, vicinorum auxiliis nixa Polonia spectaretur.

Rex etiam ipse electus pacem publicam et privatam, et jus et libertatem regni sartam tectam-

que conservaret, et nonnisi indigenitalibus tum muneribus, tum facultatibus reipublicae distribuendis morem, institutaque pie tuerentur.

Iam et academiam cracoviensem redditibus augere, ac quinquaginta adolescentes nobiles tam literis, quam armis erudiendis in exteris regionibus suo sumptu alere, (30) Poloniae et Lithuaniae veris foetibus, et familiae Austriacae operam navantibus ad functiones publicas et ordinem equestrem (Commendas vulgo vocant) aditum praestare, et debita cuncta quae Sigismundus Augustus rex contraxisset sine gravi detrimento Caesar et Hispaniae rex exoluturos se recipiebant. Quae omnia et singula primum, ut dixi, a Caesaris, Hispaniensis regis, et Maximiliani legatis Varsaviae jurata, regni Poloniae Ordinum oratoribus Iacobo Vorocenio chioviensi episcopo, Ioanni Zborovio castellano gnesnensi, Duci borussico, Ioanni decano gnesnensi, Francisco Manslovio, H. Strzala Olomucium venientibus in summo templo xxvii septembris Maximilianus rex ipse iurejurando confirmavit.

Haec dum ita ab eorum, qui Maximilianum elegerant parte in castris palatini posnaniensis peraguntur, Svecorum item legati partim a suae partis hominibus propositas, partim vero ultro oblatas in has regiae electionis iuramentum edunt conditiones.

Principio: inter Poloniae et Sveciae regna foedus esset sempiternum; Mortuo Ioanne rege Sigismundus filius Sveciae regnum retineret, et, si ita necessitas exigeret, non invitis Ordinibus in Sveciam proficisceretur; Livoniae partem integram, quam Sveciae rex teneret, Poloniae restitueret. Qua qui-

dem de re cum Sveciae regis legati nulla se habere mandata indicarent, Anna regina matertera bonis suis omnibus pignori datis pro Sigismundo sororis suae filio fidejussit; Idem classem armatam in regni usus instrueret, majoresque bombardas certo numero cum omni necessario instrumento Polonis et Lithuanis adversus Novogardiam, Plescoviamve in Moschovia bellum gerentibus subministraret, et ad Vendonam Moschis ereptas non amplius postularret; Pecuniae summam ex ipsius patre Ioanne ab Sigismundo Augusto rege Poloniae mutuo acceptam, dotemque insuper et haereditatem maternam, et quaecumque tandem ipsius etiam Ducatus barensis deberi sibi existimaret regno Poloniae donaret, in ipsiusque confiniis quinque arces suo sumptu aedificaret; nullos vero alienigenas, praeter paucos privato usui necessarios, secum adduceret, vel adductos tandem remitteret; Consiliariis sveticis republica polona gubernanda minime uteretur, ac ne custodes quidem sui corporis quam polonos et lithuanos adhiberet; Externis nullas concederet functiones et reipublicae facultates; Militibus in Polonia et in Podolia emerita exolveret stipendia; Omne etiam illud exsolveret aes, quod pro regni defensione, quoad Cracoviam rex ipse adveniret, erogaretur; Inter dissidentes de religione sartam tectamque servaret concordiam, et in ejus violatores juxta formam processus animadverteret; (31) Iura denique, et libertatem regni, maxime vero ea, quae in inauguratione Henrico regi proposita essent, et illi in augurando proponerentur, observaret. Erat non nemo, qui his vel saltem audiendis non parum permoveretur, et ut illa

gravia et aspera nimis , sic haud dubie vix servata iri a rege electo judicaret. Verum regni cupiditas omnia inania ducit obstacula , *et qui reges sequuntur etiam incredibilia factu , facilia sibi fore opinantur.* Iam enim his et ejusmodi conditionibus regi electo proponendis tantum abest ut difficulter, ut certatim etiam invenirentur oratores, quorum praecipui Hieronymus Rozrazovius vladislaviensis episcopus, Lucas Cossrelicius posnaniensis, Albericus Baranovius praemisliensis episcopi, ravensis Palatinus, et ravensis, radomiensis, et sochazoviensis Castellani, et quidam ex nobilitate designati numerabantur, qui Sigismundum regem venientem Dantisci exciperent, et ab eo jusjurandum in conditiones edendum acceptarent. Dimissi vero ab illa ipsa, quae Sigismundum elegerat, parte, in alias quoque legati sunt provincias; Rescius ad Pontificem Romanam; Roguskus et Abbas trzemesuerensis ad Caesarem, nec non et alii ad alios reges et principes Oratores. Decretum electionis in charta papyracea cum paucorum signis et subscriptionibus ad Sigismundum est missum; sed interim tamen ab omnibus fere de ipsius in Poloniam adventu est dubitatum.

His igitur rebus utrinque absolutis, ex conventu illi tandem omnes discesserunt; ac discedens quidem Cancellarius cum recta Cracoviam proficisceretur, rusque quoddam in quo Zborovii sua habebant hospitia summo mane praeteriret; tybicinem, qui turmis equitum praeundo clangorem tuba ediderat, monuit ne Zborovios, qui a coena, et poculis tum primum quieti dedissent se, forte excitasset.

Ea quippe , explorato hostium ingenio , hominis est confidentia , ut ne quidem illa , quae hostes cautiore reddere queunt , dissimulare posse videatur. Iam adeo Zborovii non nisi diebus ab discessu Cancellarii aliquot moverunt Varsavia , magis affectis , quam effectis rebus , quae ad reliqua electionis pertinebant ; quibus curandis omne onus Gorkano , qui remanserat , incumberebat . Quae quum alia ratione Regnam impedire , maxime vero quòd de bipartita in Polonia electione Sveciae regem tam cito non potuisset facere certiore . Submisit itaque Archiepiscopi gnesnensis nomine tabellarium , qui Sveciae legatis in Sveciam trajicientibus literas daret , et nescio quid praeterea de adventu Maximiliani nunciaret . Ea res ita quidem cessit , ut nona ab electione die de filio in regem electo Rex inaudiens , gestire laetitia primum , mox , his acceptis literis , turbari e vestigio videretur . Pervenit non ita multo post in Svecia et ipse Lesnovolscius podlachiensis castellanus , qui prius Reginae nomine , tum jam Ordinum legatione fungebatur ; nec non et Henricus Sparre Sveciae pro-cancellarius supervenit .

Quorum uterque admonere promptè ad mittendum in Poloniam filium coepit , et omnem menti ejus scrupulum eximere statim contendit . Admonitus quippe Georgius Sparre a Regina ac multis ejus partium tam Polonis quam Lithuanis ordinis utriusque fuerat , ne ob duritatem conditionum filio latarum , et Livoniae partem ab eo postulatam minime Rex turbaretur . Tractabilia esse Polonorum , Lithuanorumque ingenia ; quo plura et majora quis postularet , eo magis suis ipsius objices strueret postulatis ; male curatum iri quod a multis initio

peteretur; in celeritate regii adventus omnia esse posita; et, rege conspecto, missa facturi, eorum quae peterent multa homines procul dubio crederentur. Sic in Henriciana, sic in Stephani inauguratione accidisse, et nemini regum, promissorum factorum ergo in Polonia compedes injectos extitisse.

Huic ipsi rei et sententiae adstipulabatur Lesnovolscius, et supplex ad pedes patris projectus ne eos, qui ipsius sequuti essent fidem in discrimen conjicere, deserereque vellet obtestabatur. Sic nimirum expugnatus de mittendo in Poloniam filio Ioannes XIII. Sveciae rex cogitavit; sed interim tamen quid Maximilianus pariter electus Poloniae rex facturus etiam esset, secum ipse animo revolvebat; nec prius navi egredi volebat filium, quam de Livonia articulum in juramento praeterire Poloni Lithuanique eum paterentur.

Advenerat jam Maximilianus Vienna Olomucium, et intrepide quidem, sed parvis auxiliis fretus contra multorum abalienatas ab se voluntates in regnum divisum ingredi videbatur. Ejus rei haud ita paucos constat fuisse authores, ac inter alios Christophorus Tyffembachius ex Germanis praecipuus numerabatur, qui ut in electionis comitiis morositate et tenacitate sua Maximiliani regis partibus, cum multo plures potuisset, paucos adjunxerat: ita et militibus ex faece vulgi in stipendium conducendis non omnium optime de eo est meritus; quos haud dubie non tam ad ludricum aliquod spectaculum, quam ad certamen certum ituros ratio ipsa demonstrabat. Iam et Zborovii, cum Varavia non, ut expediebat, recta Cracoviam se contulissent, sed Tolmica primum direpta, comiteque

Tarnovio capto, Visliciam, natura, quam arte munitum oppidum, ad Maximilianum electum regem, ut saltem cito, non expectatis aliis auxiliis, eis opem latum venissent tam literis datis, quam nunciis, legatos, qui circa Regem fuerant impensissime flagitabant. Omnes quidem qui Maximiliano fauebant alii aliter in contrarias abierant sententias, ac memorabile in primis est quod Radiviliones duo, cardinalis et ejus frater castellanus trocensis, misso suo ad regem Maximilianum Olomucium internuncio, scripto adeo ipso apud eum testabantur videri sibi consultissimum, ut, Cracovia obmissa, Gnesnam recte proficisci, et ibi diadema regale suscipere minime dubitasset. Sed horum et aliorum monita tam apud Regem ipsum, quam apud eos, qui ab ejus consiliis fuerant, profecerunt nihil. Quin adeo etiam Caesar ipse, cum ut militum copias, quae sparsim per Germaniam spectabantur, in stipendium conduxisset consilium ei a quibusdam datum fuisset, minime id necessarium fore judicavit, cum praesertim Bohemi eo consilio refragarentur, vixque eorum aliqui, privatis Caesaris literis, ut Maximilianum electum regem comitati fuissent tandem potuerunt persuaderi.

Interim vero in Polonia totius minoris Poloniae conventus ad Visliciam frequens celebrabatur. Interim Ioannes Comes Tarnovius castellanus sendomiriensis ab Andrea Zborovio dum Visliciam occupatum ibat, captus, et non exiguis facultatibus spoliatus, nec non, fide data, pristinae restitutus est libertati; ac denique, et Nicolaus Fierleius biecensis castellanus, senator, suis majorumque suorum meritis et favore nobilitatis praestans, ad-

empta sibi a Zboroviis Vislicia veniens questum, magnam Maximiliano regi ob Zboroviorum sibi factas injurias conflavit invidiam, parumque adeo abfuit quominus irruptione facta a Cancellario, Vislicia bis tentata, Christophorus Zborovius ad supplicium ab eo raperetur. Occuparat jam ille Cracoviam, et vel hoc ipso nomine literas in diversas partes miserat Regem Sveciae, et ejus filium Reginamque ipsam, et alios quam plurimos consolatam, nec non et per municipales conventus huc et illuc ablegavit suos Zboroviorum multitudinibus toto regno verbis, exasperandis, quo suum institutum promovere, et aliorum impedire facilius potuisset. Quod, Regina juvante maxime, tam ei feliciter cessit, ut et ipse Visliciae etiam libertatem dicendi iis, quos a Zboroviis partibus stare vel minimum suspicabatur, eriperit, et in aliis conventibus, secundo populo, multa effecerit causa electionis Maximiliani oppugnandae; adeo ut quidam etiam Chelmae ex nobilitate in templo occisus fuerit, quod Maximiliani causam, et Zboroviorum tutaretur. Sola fere, quod constaret, Polonia major, non, eo usque, ab electione Maximiliani et Zboroviorum instituto abhorrere videbatur, in qua coacti conventus Gorkano, Karnkovo, et Opalenio castellano leciziensi authoribus, plures Maximiliano adhaeserunt, quos tandem ipsos nec diu in officio praestituros, nec admodum Zboroviis fidos esse vulgo credebatur. Erant quippe ii invisi propemodum in Polonia semper, licet clientelis et agnationibus non contemnendis praepollebant. Verum enim vero eorum insolentiae exemplis multi commoti, sicuti ad Leopolim, contra Sigismundum regem Nobilitatem

concitasse, et sub Sigismundo Augusto, Henrico et Stephano, multa insolenter egisse, sic et acturos, si suae electionis compotes fierent, memorabant. Itaque nemo fere non obstabat ipsorum conatibus, et Cancellarium, ut ambitiosi ingenii, et variarum artium suspectus ab aliquibus diceretur, potius promovebant.

Iam et Maximilianus ipse conflaverat sibi invidiam cum rebus aliis, tum quibusdam etiam versibus ab insulso poeta vexillo quod praeferebatur inscriptis, quibus se injuriam patris ulturum minabatur, qui versus multo ante ipsius adventum toto regno sparsi, quibusdam authoribus, Nobilitatem contra eum excitabant. Manebat toto eo tempore Pontificis Max. legatus Varsaviae; et nonnisi quòd Austriacus esse diceretur, multas a Reginae familiaribus passus contumelias ad episcopum cracoviensem profectus est Doderzinum, qui et ipse quanquam semper antea Austriacarum fuisset partium, eo interregno nolebat videri Zboroviis adhaesisse. Segnius et illi militem conducebant in stipendia, nec eo quo promiserant ipsius numero. Adveniente Maximiliauo, obviam sunt progressi; de cujus adventu ut Cancellarius intellexit, misit e vestigio ad eum Stankevium, Nicolaum Tarlonem palatinum lublinsensem, Ioannem Goraiscium, Roznum, et Stanislaum Bikovium, qui eum ne in regnum veniret hortarentur. Sed ille Rabstinensi arce, in qua Kolubkone duce militum praesidium fuit, a tergo inconsiderate relicta, paulo plus quam tribus bellatorum millibus comitatus sub ipsa fere moenia Cracoviae venit, et primi diei opportuna occasione, quae oblata erat, neglecta, alterius tarditatem ex-

pectare coactus est illius urbis oppugnandae. Ferunt quippe si majori contentione et perseverantia milites Maximiliani rem ursissent, et in ipsam Clepardiam Tartaros fugientes persecuti longius fuissent, facile eo die Cracoviam trepidationis plenam capere eos potuisse, praesertim cum nec tormenta pro muro urbis satis ordine adhuc disposita, et ipse ante alios cracoviensis palatinus in metu et horrore maximo, oppidanique fere omnes spectarentur.

Verum non peraeque omnium, omnes qui extra urbem sunt, et qui in ea versantur sunt conscii rerum, praesertim quae occultantur, adversarum. Itaque ejus diei occasione amissa, primum quidem ii, qui a tergo relictii fuerant, et qui partim com meatum, partim alias res ad Maximilianum deferebant manifesto periculo vitae suae expositi; nec multo post centum quinquaginta Germani equites ex Silesia venientes a rabstinensi praesidio intercepti. Maximilianus interim ipse Mogillano monasterio ad Cracoviam occupato, Polonos Lithuanosque, quos brevi ad se venturos existimabat, opperiebatur, et identidem, missis in urbem legatis, dedici eam sibi ab aliis, qui cum imperio ei praeerant, postulabat. Sed tanta sui confidentia Cancellarius fuit, ut non modo ad Maximiliani legationes et epistolas superbe responderit, sed verbis etiam Magistratum et Gymnasiarchas ad respondendum animavit; (32) quam ipsius obstinationem non nemo sane mirabatur. Etenim ante quam Maximilianus Olomucio movisset, quum de adventu Sveci varia et multiplicia aliquot mensibus spargerentur, hanc vocem editam a Cancellario constat fuisse: *si Maximilianus justo cum exercitu Cracoviam oppu-*

gnatum advenerit, vi et necessitati eum cessurum, et nihil contra rationem factu incredibile tentaturum. Cujus etiam rei gratia cum Turcarum Caesare de Valachiae principatu obtinendo, si in Polonia eum fortuna destituisset, consilia occulto agitabat.

Indictus est interim ad Mogillam conventus, in quo pauci admodum senatores, nec plures ex Nobilitate cum iis qui apud Maximilianum fuerant congregati, gubernacula Reipublicae, quod illi nimirum *regalia* dicebant, ei committere minime dubitarunt. Quae res, alias etiam odiosam, causam Maximiliani reddidit magis invisam et suspectam, quum, iis acceptis regalibus, eorum bona, qui non statim ad eum venissent publicaturum se esse, scripto in vulgus edito, testaretur. Ejus consilii author fuit Vierzkovius gnesnensis Decanus juris magis peritus, quam artium reipublicae gubernandae. Displicebat et tota illa huc et illuc mittendarum literarum non nemini ratio, qua Maximilianus aliquorum animos expugnare sibi posse rebatur. Ac suborta inter Andream Dudicium et Cobenzelium (33) nescio quam, occulta iis exarandis erat aemulatio, quae Principis mentem variis curis et cogitationibus distractam parum admodum tranquillabat.

Allatus etiam ex Lithuania fuerat nuncius, Lithuanos, habito Vilnae conventu, variantibus non modo Ordinum, sed et hominum inter se sententiis, de Maximiliani, et Sigismundi electione approbanda, nihil certi statuisset, sed in duas divisas partes jam hoc, jam illud in consilio agitasse. Quarum rerum diversi legati, a Maximiliano Ioannes Schimanovius, a Sveco Nicolaus Olenicius, a Regina

Ioannes Rakovius, quasi quidam certi, nunc spem, nunc metum hominibus incutiendo, extiterunt auctores. Interea post longam, et multis ejus partibus permolestam expectationem, cum quasi toties ejus adventu jam nunciato, fidem nuncii amisissent, de Sigismundo rege electo Dantisci fama percrebuit, quae, quum alios quoque, tum maxime, Cancellarium cardinalis Bathorei in regem eligendi cupidum, nonnihil in officio confirmavit. Appulit is Dantiscum decima nona septembris die, quatuor et viginti armatis navibus, et aliquibus mediocri numero hominibus comitatus. Qui tamen egredi e navi, multoque minus Dantiscanam urbem ingredi noluit, donec negotium cum legatis polonis transigisset. Quibus auctoribus quum debebat juramentum Olivae praestitisse, duos articulos a legatis ipsius Varsaviae receptos, et Livoniae parte, quam Sveciae rex teneret, regno Poloniae cedenda, et aere illius alieno exsolvendo, jam recipere recusavit. Hujus in Poloniam adventus ex re consilium capere Maximilianum tandem coegit, qui quòd comite Gorkano, aliisque tam lithuanis, quam polonis proceribus expectandis multum temporis inutiliter consummasset, et vi capiendae Cracoviae, multorum iudicio, spe quodammodo excidisset, facile sibi persuaderi est passus, ut alia atque alia tandem consilia sequeretur. Placuit quidem ante omnia contra Sigismundum mittere copias, quae eum Cracoviam proficiscentem, aut caperent, aut omnino impedirent. Hanc ad rem maxime idoneus Stanislaus Stadnicus, qui et ipse ultro operam obtulit suam, est iudicatus, sed ita ut Germanorum cum quingentis cathaphractis equitibus simul Erasmus Lichtestainus

eorum praefectus etiam mitteretur, essentque tam equitum, quam peditum millia duo, et communicatis utrinque consiliis omnia agerentur. In horum comitatum ingressit se Christophorus Zborovius tertius; sed ita tamen a rege est missus, ut nihil sine Lichtestaini scitu, et mandato in eo exercitu ageretur. Praedixerat enim Stadnicus se non iturum, si iret Zborovius, quod eum imperium cujuscumque laturum aegerrime rebatur. Paucis ergo ut progressi sunt miliaribus cum Zborovii milites in Polatovize pago Slaskovii filias torquibus aureis primum omnium spoliassent, obviam eis fuit Mstizonia, rus Ioannis Plazae, qui pecuniam, et supellectilem suam magnificam eo loci asservabat; sed erant et innuptae virgines ejus filiae; quibus omnibus a Christophoro Zborovio non est parsum, fremente non modo Stadnicio, sed et universo exercitu, qui partim invidia praedae prae se raptae, partim a Stadnicio incitatus missionem flagitabat, et res quasi ad arma recasura videbatur. Praemiserat Stadnicus dies aliquot antea suos exploratores versus Petricoviam, qui de Sigismundo, vel secus, progrediente, diebus, si fieri posset, singulis, fecissent eum certiores. Horum unus reversus, non nisi quinque miliaribus anteriores militum Sveci cohortes adesse nunciavit. Excitatus eo nuncio Stadnicus mittit noctu ad Lichtestainum, orat obtestaturque ne tanta occasione indormiat, et ut simul cum ipso, nocte etiam intempesta, in hostem proficiscatur. Renuerat initio Lichtestainus, ut credebatur, Zborovio auctore, inter quem et Stadnicium aemulatione orta, cum literis quidem Maximiliani Zborovius revocatus missum facere voluisset exercitum, et nihil boni sequuturum

videbatur ; ad extremum tamen superveniente ipso Stadnicio , et Operstorffo Amstainoque consulentibus, ita inter eos convenit, iret ipse noctu sine mora cum polonis Stadnicus, summo mane Lichtestainus cum germanis sequeretur. Hoc enim modo par illud itinerum facilius superato fore credebatur. Veniente igitur in diluculo Prodboriam Stadnicio, partim capti, partim caesi, qui Svedianorum fuerant partium sunt ab eo quam plurimi, inter quos etiam Ioannis Ostrorogii familiares, quos ille Petricoviam versus ipsi Sveco obviam progressus, praemiserat, spectabantur. Erant porro in vicinia ejus loci Andree Opalenii regni Marschalli centum germani equites, quos ille veluti custodes sui corporis multis jam ab annis conductos habebat, et ex nobilitate Silesiae munificentissime substinebat. Hos dissipatum suos submisit fratres Stadnicus, Samuelem et Andream, pro se quemque equitum turmae praefectum; qui adeo cum Stadnicis strenue congressi sunt, ut Samuele e vestigio vulnerato, et equo sub Andrea interfecto, facile Stanislaum Stadnicium ut fratribus opem ferret, clamore ingenti sublato explosisque bombardis multis procul dubio excitarint. Zolaczum is praemisit primum cum levioris armaturae militibus vulgo Cozacticis nuncupatis, mox et ipse pernici equo conscenso eorum equitatum non difficile est assequutus, ubi cum ad molendinum quoddam acrius defendissent se, tandemque desperata salute fugam capessere coepissent, in aedibus cujusdam nobilis nonnullos, partim captivos fecit, partim etiam trucidare militi permisit; praesertim quum descendenti ex equo, humanisque eos compellanti globis respondere minime du-

bitarant . Revertenti vero factus est ad Prodboriam obviam Lichtestainus , ubi deuvo quid facto opus esse videretur coeptum est sine cunctatione consultari ; res magna haud dubie parvo temporis progressu non jam affecta sed perfecta est ; et Svecus etiam ipse opprimi potuisse videbatur ; caesis nimirum Germanis iis, quorum si Maximilianus mille in suo exercitu habuisset , victoriam penes eos futuram Stadnicus ad Marschallum Zborovium literis datis testabatur . Sed , ut fit , agendis rebus finis maxime spectatur inceptorum . Iam igitur quum eo ventum fuerat quod exercitus ulterius in hostem debet proficisci, Lichtestainus se excusare primum, mox etiam aperte affirmare ausus est minime id aut expedire rebus , aut sibi fuisse imperatum . Cujus tandem rei cum de se apud Maximilianum accusato cum Stadnicio expostularet , Christophorum Zborovium militibus ob difficultatem itinerum in desperationem adducendis confessus est fuisse anthem . Reversi tunc iterum Mogillam omnes , et quidem Stadnicus circiter quinquaginta duxit, regique dedit captivos. Lichtestainus non et, quo ante , modo in oculis hominum versabatur . *Invidia enim inter aequales excitata, factis, non fictis rebus terminatur* . Sic se habuit iter illud Petricoviam versus, futurum haud dubie gloriosum si decretis in consilio rebus factis fortibus tam praefecti , quam milites respondissent . Miserat paulo ante , cum in viam dedisset se , Stanislaus Stadnicus literas ad Nobilitatem , quam frequenter inaudierat convenisse Petricoviam , ut si alterutri parti , quae eligendis regibus sibi contrariae essent, adhaerere non dubitaret , extrema domibus etiam in suis praesto-

laretur . Qua de causa nonnulli dilapsi , ipse etiam Svecus , qui jam jam hostem adventare crediderat , in magna constitutus trepidatione spectabatur ; ipsaque Regina matertera statim de adventante exercitu accepto nuntio , cum Sigismundi sorore reversa est Ravam , unde versus ipsam , ex qua exiens Sigismundo in itinere se conjunxerat , perrexit Varsoviam , nullo aut exiguo admodum comitatu ; ut enim foemineum sexum animo et corpore imbecilliorum semper esse compertum sit , tamen illud certum est exploratumque habetur , quo fidentiorum quemque principio , eundem , rebus turbatis post principia stare consuevisse aliquando .

His ita gestis rebus , quid facto opus in posterum fuerit Maximilianus rex in monasterio Mogilano cum suis consultabat . Grassabatur vero magnus non sine contagionis suspitione in milite morbus , et excubiis agendis non parum molestiae accesserat equitibus , qui , ponte supra Istulam extructo , pabulatum huc , et illuc egressi , male interdum revertebantur multati . Nulla porro restabat spes animis hominum , eorum maxime qui Cracoviae fuerant , Maximiliani partibus conciliandis . Itaque cum nulla non pacis tentata fuissent , aliam tandem ingredi viam , ac oppugnatione Cracoviam tentare placuit .

Ejus consilii author potissimum Christophorus Zborovius fuisse dicebatur , qui prehenso per manum H. Curcio peditum summo praefecto , una se ad irruptionem urbis cum eo iturum , et extrema quaeque tentaturum ultra promisit . Ea re (ut omnium consiliorum regionum se conscium esse apertissime gloriabatur) Cancellarius intellecta , cum

antea magna magnis aedificiis et ruderibus incendio damna fecisset , tandem etiam Crupniki , Garbaros , Ogrodniki , Grovorra , suburbana Cracoviae loca , ne hosti receptaculo essent , igne omnia abolevit .

Interim nihilominus Maximilianus novembris diebus Cracoviae oppugnandae consilio quam paucissimis communicato , ante lucem ex Mogillano monasterio est egressus , ac directo versus Zelonkos itinere , non procul a Promnicor̄ (sic) Episcopi cracoviensis jam ambusta aede , quasi oppressos ut sibi prospicerent monens , dum impedimenta non subsequantur , in planicie exercitum collustravit . Inciderant tum Zborovii in Hungarorum parvam quamdam , duce Lopschemo , manum , et Garomum Gallum , qui paucis comitatus equitibus peditibusque , hungaris magna ex parte interfectis , in Zboroviorum pervenit potestatem . Quo nimirum successu laeti , et totius militiae imperio ad Ioannem Zborovium , eo die , a Rege delato , spiritibus aucti , fere tota proxima nocte genio cum amicis indulgebant . Constitit tamen Rex in sequenti die ante lucem in acie primus , et adventantes proceres alios non sine molestia expectavit , qui , quòd nec omnes consilii conscii , nec non nisi diversis et separatis locis sua sortiti hospitia fuissent , aliqui etiam illorum commensationibus noctu indulsissent , tardius aliquando advenerunt . Praeterlapsus vero jam erat dies ille , quo sive vere , sive fecte signo Cracoviae ab oppidanis edito , Maximiliani miles , debebat oppugnationem tentavisse , quo magis quibusdam , ac ipsi Garomo capto (34) differendae causa est irruptionis ;

qui statim illa nocte , nunc metu , nunc spe proposita , diligenter examinatus fuerat .

Deerant quippe multa , quae ad oppugnationem tantae urbis pertinere videbantur; miles erat numero parvus et infirmus, tormenta bellica desiderabantur grandiora; tantae molitioni perficiendae, vix, opinione hominum idoneus spectabatur imperator. Nunc hoc, nunc illud consilii pro se quisque in medium afferebat, nec deerat inter proceres *aemulatio rerum gerendarum pestis, et animi, quominus cuncta, ut par est, dispiciat, perturbatrix*. Sola erat spes in exigua urbis ipsius munitione, posita; quam, unius noctis spacio, conspectu Maximiliani exercitu, fossa et aggere erigendo sic Cancellarius emendavit, ut Garomus, qui biduo ante egressus Cracovia fuerat, incredibile illud futurum sibi fuisse, nisi ipse vidisset, fateretur. Erat Garomus natione Gallus, qui cum antea dantiscano bello a partibus urbis stetisset, tandem subsequuta pace, regis Stephani castra sequutus egregiam operam moscoviticis bellis ei navaverat, et honorifica virtutis suae testimonia, praemiaque ab eo reportarat. Hic, Regem ut in alteram noctem oppugnationem differret obtestabatur, ac se ipsum ductorem futurum promittebat. Sed Christophorus Zborovius, et Christophorus Tyffebachius ejus oppugnationis sine mora aggrediendae potissime fuerant authores; quae res animosius, quam consideratius coepta, infelici tandem exitu est terminata. Expectavit quippe Rex (ut dictum est) adventantes polonos proceres ante lucem diei, qui cum nonnisi orto jam sole in conspectu hostium ab hesternis

crapula advenissent, frustra que promissa ex urbe
 signa, tempore jam praeterlapso, aliquandiu expe-
 ctassent, tandem processum est ad oppugnationem,
 multorum variantibus sententiis; et Comitis Gor-
 kani palatini posnaniensis majora tormenta cum
 ipso pulvere tormentario, sic inconsiderate ducta,
 ut eorum intercipiendorum Cancellarii Miles non
 difficilem haberet facultatem; quibus demum poti-
 tus discessit, quibus vehebantur rotis, quod ea sta-
 tim avehere minime potuisset. Ad bene de reliquo
 sperandum clamorem, et signa aliquot sustulit, et
 majora denique conari non dubitavit. Pugnatum
 est tandem utrinque pari virtute diu; verum cui
 ab una parte exitus non tandem visus est respon-
 disse; etenim Germani inter prandentes opifices
 germanos (*garbaros* (35) vulgo vocant) forte il-
 lati, ut cum iis cibum sumerent facile sibi passi
 sunt persuaderi, quae res multis exitio fuit, quum
 polonus, et hungarus Cancellarii Miles ea de re cer-
 tior factus, et de repente eos aggressus fere omnes
 aut captivos fecit, aut vero trucidavit. Nullus qui-
 dem, qui primo impetu fretus caecidisset plures,
 quam Nicolai Iazolonovii pedites dicebantur. Equi-
 tum exigua edita est strages, cum ea tormenta, quae
 in patibulo disposita a Cancellario extra Cracoviam
 erant, explodentum sive perfidia, sive inscientia pa-
 rum omnino visa sunt nocuisse; desiderati tamen
 utrinque quam plurimi, ut ex germanis praecipue
 nobiliores aliquot, partim capti, partim interfecti
 estiterunt, inter quos H. *Teufel*, quod germanis
daemonem significat, albis vestibus indutus, et pau-
 lo ante ex scholari patavino signifer factus, ceteris
 cum praeiret fortiter, occubuit. Vulneratus et ipse

Curcius est summus peditum omnium praefectus Tertiaram expugnatione nobilis, et nequaquam ea die feliciter gesta re, paulo a meridie Rex tandem etiam ipse Zelonkos se recepit, ubi nemo tandem voluit videri ejus consilii authorem extitisse. Paulo autem, antequam tentaretur oppugnatio dederat suas ad Sigismundum Maximilianus literas, quibus se legitime electum esse regem, et jus suum persequi velle testabatur. Quod idem cum rescriberet, fecit rursus Sigismundus, et ut regno liberis civium suffragiis sibi delato Maximilianus cederet, hortabatur; demumque etiam Crassitium, quem, quod Maximiliani epistolam ad eum tulerat, captivum fecerat, pristinae restituit libertati.

Varia tum, et multiplicia pro se quisque agitabat consilia, et tam Maximilianum, quam Sigismundum quorundam esse sequutum fidem coepit haud dubie poenitere. Itaque cum in consilio Maximiliani dicerentur sententiae, omnibus movere Cracovia, et vel Sigismundo Cracoviam petenti obviam progredi, vel in majorem Poloniam placuit tandem proficisci. Utrique consilio exequendo unum et idem iter Mecoviam usque videbatur. Itaque magnis jam frigoribus, et summa viarum asperitate orta, Slemnicum, et demum Mecoviam, cardinalis Bathorei oppidum, est perventum. Flagitare tum germanus miles missionem coepit, nec obscure; praesertim ii, qui voluntarii erant; si negaretur, vel invito rege abituros se esse testabantur. Qua de re convocatis Rex iis, qui ab ejus consilio fuerant, audire rursus sententias voluit, et quid amplius facti opus esset significari sibi libere ab iis postulavit. Advenerat eo Cardinalis Radivili et eius fratris

Christophori castellani trocensis internuncius Ioannes Cerasinus, regi quod eorum consilium sequutus non fuisset, quasi quodammodo exprobratum, sed majoris ea momenti res, quid deinceps faciendum esset, censebatur. Quae adeo ipsa urgentibus germanis, et Gorkano comite authore, in majoris Poloniae profectionem ad Silesiae fines, animum regium inclinavit, quippe quòd exercitus supplimentis indigere, et Vratislavia vicinior ei esse, et spes denique vel aliqua Calissiae, aut Posnaniae capiundae adhuc affulgere videbatur. Igitur Mecovia Plicam, biduo post inde itum Severiam, quae duo oppida ad Petrum Moscovium episcopum cracoviensem toto Poloniae regno ditissimum pertinebant; quo minus praedis et expilationibus a milite est parsum, et ipsa Horodoneria arx tantopere aliquando celebrata, quae a Stuermo Ronero, tum quidem absente, in vicinia tenebatur, Christophoro Zborovio, sicut dictum est, authore, Ferdinando autem Kardeco Comite militem germanum eo ducente, cum multis multorum nobilium facultatibus est direpta, in qua etiam nonnulla, quae militi germano paulo ante ad Olkaschum ab Kolubkone caeso adempta fuerunt, inventa fuisse narrabatur. Graviter quidem ea res ipsa Nobilitatis afficiebat animos, et non dubiam cladem exercitus ei, qui praedis, et pauperum lamentis divinam provocaret iram, minari videbatur. Earum depraedationum, et alios multos, in primis sane Stanislaum Stadnicium vulgo accusabant authorem, qui aliquoties de iis rumoribus de se sparsis apud Regem conquestus, loco, et tempore onni, quo res voluisset, causam dicturum et se purgaturum promittebat. Interim tamen ab

iis ipsis expilationibus maxima cum regii nominis invidia minime cessabatur, accurrebantque ex vicinia nobiles, qui a rege justitiam sibi administrari impensius flagitabant, sed cum de authoribus non satis constitisset, in itinereque rex esset, ulterius majorem Poloniam versus parvis itineribus placuit proficisci. Erat, cum Severiae Rex esset, inter comitem Gorkanum posnaniensem palatinum, et inter Stanislaum Stadnicium jurgium quoddam hospitiorum occasione in consilio regio excitatum, sic, ut ad gravissimas verborum contumelias, praesente et audiente Rege, inter eos veniretur. Quare magnopere Rex offensus, et a Stadnicio alienari, et turbari animo polonorum dissensionibus, et parva sibi habita reverentia, vehementius videbatur. Quo tempore ipse etiam Christophorus Zborovius legationes externas ambire, et missionem a rege postulare coepit, quam demum, veniente Rege Czestochoviam, non difficulter impetravit. Est Czestochoviae monasterium Deiparae Virginis imaginis a divo Luca pictae, et miraculis editis quam plurimis tota Polonia celeberrimum, quod a multis multarum gentium hominibus pietatis ergo singulis annis frequentatur (36). In hoc, cum, Czostinum arcem, quae Ocessi praefecti praesidio tenebatur, praetervectus, cum milite rex pervenisset, gratulari ei adventum Monachi primum, sed mox et desiderare ipsius discessum non obscure videbantur. Verum supervenerat russica, quae Regem retardavit, legatio, quam universa illa provincia, propositis certis pacificationis modis, per honoratissimos viros miserat eum salutatum, quae, Czestochoviae audita, tandem post lustratas ibidem aliquot equitum tur-

mas, non sine muneribus Crepito est dimissa, ita quidem, ut etiam ii, qui antea Regi adversabantur in admirationem ejus rapti, laudes ipsius discedentes praedicarent. Audiebantur et ex Lithuania adventuri oratores, quos magnus ille Ducatus praecipuae auctoritatis viros idcirco mitteret, ut, uter electorum regum ad regnandum aptior esset, rerum et personarum momentis omnibus diligenter perpensis, fecissent ordines certiores, eorumque tandem staretur iudicio, hoc vel illo rege electo ad gubernacula reipublicae admittendo. Sed dum frustra Lithuanorum adventantes expectabantur legati, de intercepto praeposito Zuan (*sic*) Sepusio nuncius Crepitiū advolavit. Tenebatur illud a Gasparo Maziecovio, qui tum Cracoviae cum esset, nec tantum, quantum expediebat, praesidium lubiolensi arci totius Sepusii fortissimae, impositum haberet, ejus ab hoste intercipiendae praestitit facultatem.

Iam interea Sigismundus, Istula ad Corzinum superata, semper et ubique, ne in Maximilianum incidisset perintensus, Cracoviam properabat, quam xix septembris a meridionali urbis parte per Cazimiriam et Stradomiam ingressus, a Cancellario, qui verba ad eum faciens, tuenda patria alterum Scipionem se esse futurumque semper magnifice profitebatur, est salutatus. Erexerat is pro ejus adventu arcus quosdam triumphales, in quibus Stephani regis imago, et circa hanc machinae bellicae, arma, et duo vexilla nuper Maximiliani militibus adempta; demum et Iagellones reges omnes depicti spectabantur. Hinc de inaugurando rege consultare placuit; ac paulo quidem Cancellario, initio, ab aliis discrepante, quod quaedam sibi concedi im-

pensius flagitaret , tandem omnibus in unam eandemque euntibus sententiam , Stanislaus Karnkovicus archiepiscopus gnesnensis xvii decembris die diadema regale Sigismundo imposuit ; postridie vero Senatus populusque, Cracoviae, solemne fidelitatis publice in foro ei praestitit iusjurandum.

Venerat tum fere ex Transylvania Cracoviam Balthassar Bathoreus Andreae regis Stephani fratris filius , et Andreae cardinalis frater germanus , qui nuper perlustratis multis , et variis orbis terrarum regionibus, in patriam erat reversus . Huic Ioannes Bornamissa vir militia clarus , se adjunxerat, et uterque bis mille fere hungaros a Sigismundo principe Transylvaniae missos secum habebat , cum in illud usque tempus idem princeps Transylvaniae neutrarum partium exitisset . His auxiliis habitis , de exercitu contra Maximilianum mittendo coepta sunt consilia agitari , et quia pecunia deerat , nec exigi tributum tam cito poterat , a Petro Moscovio episcopo cracoviensi , magnis promissis expugnato , acceptum est mutuo aes , cujus conquirendi aviditate non solum Iudaeis et mercatoribus , sed ne vasis quidem sacris Deoque dicatis templis parcebatur . Hic antequam dimitteretur exercitus visum est iis, qui Cracoviae fuerant , de Maximiliano ex Polonia revocando , deque rerum omnium in eo statu Rudolphum Caesarem facere certiores , cujus rei gratia H. Lucornicius Sigismundi secretarius Pragae ad Caesarem est ablegatus , cum interim Maximilianus complures ante dies Crepitii , et in magno aut vitae , aut captivitatis periculo versaretur . Absumpserat quippe sive pestilentia , sive simile morbi contagiosi aliquid mortalium Crepitii quam plurimos , et vulgata fa-

ma erat Cancellarium, summa ab Ordinibus Cracoviae congregatis tam praeteritorum damnorum belli tempore aliis illatorum venia, quam futurarum gerendarum rerum concessa sibi facultate Crepitium versus adventare, ut Maximilianum nihil hujusmodi suspicantem aut caperet, aut saltem ipsius exercitum dissiparet. Quae res quamquam a Polonis extenuabatur verbis, Maximiliani quidem animum vehementer perturbabat; qui accepto de Sigismundi inauguratione nuncio, nihilo minus commotus in occasionem, qua se tanta difficultate explicaret, intentus esse videbatur. Itaque dictis aliquoties in consilio sententiis cum ad diurnam ab hoste defensionem minime tutus locus illi censeretur, id tandem consilii placuit magis ut Volunia, quae quinque Crepitio distabat milliaribus, et vallum, fossamque habebat, nec nisi uno, vel altero a Silesia aberat, in Maximiliani redigeretur potestatem. Ejus rei gratia Samuel Stadnicus cum Zoladro cum quingen- tis dimissis militibus, paulo quidem initio resistentem, facile tandem Voluniam occupavit.

Venerat autem, antequam Crepitio Maximilianus discessisset, Annibal ad eum capuanus archiepiscopus de induciis inter ipsum et Sigismundum ad tempus, nec non de ipsa stabilienda pace Summi Pontificis nomine consilia agitatum, qui humanissime ab eo habitus et exceptus, id quidem responsi tulit, non aegre ut de pace utrinque tractaretur laturum Maximilianum, effecturumque ne interea temporis armis aliquid a suis tentaretur. Graves quippe audiebantur quaerelae fere quotidie ex praedis et injuriis ab exercitu Maximiliani, vel ipsis nobilium domibus factis, nec quibus id authoribus fie-

ret sciri exacte poterat , et pro summa militari licentia pro se quisque factum facile excusabat . Remissior erat etiam iis pervestigandis rebus Ioannes Zborovius exercitus imperator , et non tam de severitate aliqua in militem eo nomine adhibenda , quam de domo et conjuge sua quamprimum invisenda cogitabat ; quo magis conventuum quorundam occasione usus missionem a rege flagitavit , ut in illis conventibus navare regi operam potuisset . Idem fecit et Nicolaus Iazlovicius pro totius Russiae Leopoliensi conventu , cum aliquot centenis hominum securitatis suae ergo ab exercitu discessit ; quod multo etiam ante nonnulli fecerunt germani , et bohemi , ut adeo cum exiguo rex comitatu remansisse videretur , qui ut Nobilitatem ob praedas et militum maleficia furentem aliquo modo deliniret , dimittebat per Palatinatus et Municipia literas , quibus suum benevolum erga omnes testatum faciebat animum , et damna , quae alicui evenissent , de suo resarcire se velle pollicebatur ; sed eo tandem proficiebat parum ; quin nec obscure in conventibus nobilitatis contra eum fiebat conspiratio , et qui ejus partium antea fuerant , tutanda ipsius causa sensim languebant .

Interim Regina matertera , ut quidem de Sigismundo inaugurato Cracoviae accepit nuncium , tenere se amplius non potuit quominus Varsavia in viam se daret , et coadunatis ex Massoviae Nobilitate parvis quibusdam auxiliis , per medium quasi armorum ardorem proficisceretur ; quo ipso fere tempore relicto Crepitio rex Maximilianus Voluniam venit , et de adventante hostium exercitu , de quo varie admodum eo usque narrabatur , certiora intellexit . Placuit tum haberi consilium , in quo , dictis

sententiis, cum multi multa, partim periculum extenuando, partim indignitatem rei, si regno excederet, verbis, ut fit, exaggerando in medium attulissent, Christophorus Varsavicius quid in tam gravi et vicino periculo faciendum regi iudicaret longiori oratione, quae demum typis vulgata est, rogatus, sententiam explicavit, ac Principem suum serio hortatus est periculum ne contemneret, et se suoque melioribus temporibus reservaret. Timidioris animi ea videbatur oratio, et saepe saepius Andreas Zborovius aulae regni Marschallus, qui fratris absentis loco ducis militiae munere fungebatur, qui de hostium copiis et molitionibus explorata se habere omnia profitebatur, Varsaviam proficisci, ne regem his turbaret periculis exaggerandis simul cum decano gnesnensi admonebat. Verum res ipsa docet eos, qui in bellis et periculis regum auferent suspicionem, augere et cautionem, si non semper potuisse, certe quidem voluisse. Iam enim Samuele Stadnicio, qui cum trecentis equitibus contra Cancellarium exploratum dimissus et male habitus fuerat, redeunte, effuse omnes de hostium exercitu propius adventante nunciabant; quod idem editi, succensis ruribus, ignes, et ultra viginti italici milites, qui in praesidio crepitiensis arcis relictis saluti suae consuluerant, et Voluniam ad eum venerant, iudicarunt. Expectabat porro Maximilianus rex millia duo tam equitum, quam peditum hungarorum, quibus auxiliis opportune venientibus fretus, resistere se posse hosti omnino sibi persuadebat. Tum quidem in eas angustias redactus ipsius exercitus fuerat, ut multis partim morbo absumtis, partim languentibus, partim etiam alio profectis, vix mille bellatoribus tan-

dem constaret. Quo magis turbari omnes, et rex ipse majoribus tormentis, impedimentisque aliis praemissis, adventante jam nocte, Volunia excedere est coactus.

(37)

Distat Bizinum quatuor Volunia milliaribus, oppidum in Ducum bregensium ditione, et provincia Silesia situm, quibus paucis milliaribus conficiendis totam illam noctem rex consumpsit, et non nisi in diluculo Bizinum tandem pervenit. Quo eodem loci de adventantibus hungaricis copiis, quae a nonnullis diebus jam expectabantur, nuncius repente advolavit; qui ut ex diuturna earum expeditione laetitiae aliquid, sic multo plus terroris alter de Cancellarii milite fere ante portas oppidi conspecto haud dubie afferebat.

Etenim cedente ex regno Maximiliano, ulterius Cancellarium non iturum, et non indicto, neque denunciato bello, Silesiam invasurum non nemo augurabatur; et ex adverso nihil non hostile suspicabantur ab eo quam plurimi, et vel illum ipsum tam celebrem, et tumultuarium Maximiliani discessum animos ei daturum affirmabant. Huc accessit quorundam, qui Maximilianum comitabantur, proditio, a quibus cum Parzimocho usque Cancellario obviam missum fuisset, et jam de pecunia (38), quae Vratislaviae a Maximiliano expectabatur certiozem fecissent, antequam de nocturna ejus profectione aliquid significaretur, totam illam noctem insomnem ille duxit, et, ut quam primum adsequi po-

tuisset, properavit; quem adeo nisi ea ipsa, qua postea pugnatum est die, alacritate superaret, sibi fore difficiliora omnia non obscure apud suos testabatur. Ejus vero proditionis Stanislaum Cziolium unum ex regiis intimis secretariis fama vulgata est fuisse authorem. Hic cum aliorum, tum primò Christophori Zborovii, deinde etiam Archiducis Ferdinandi commendatione cum in regiam gratiam ita insinueret se, ut et in cubiculo, et in Consilio regis omnia ei paterent, Cancellarium, ut Maximilianum ante quam hungaricis copiis se conjungeret pecuniam Vratislavia in dies expectantem insequeretur, admonebat. Quo magis ille, Volunia obmissa, praemissisque levioris armaturae in Silesiam militibus, Bizinum versus recta contendit, et certam ac exploratam victoriam, utpote qui hostilium rerum et consiliorum conscius esset omnium, sibi suisque polliceri minime dubitavit. Ut tandem multa scivisset, illud quidem antequam in aciem descendisset, ignorabat, circiter duo millia tam perditum, quàm equitum hungarorum, duce Valentino Praepostsvaro, Maximiliani copiis se conjunxisse; de quibus in vicino oppido Craizbreg intellexit. Dedit e vestigio literas, ut de hostili exercitu, Cancellario duce, ab eo certiores facti in viam se darent, et ad instructas ante moenia oppidi acies in certam, Deo auspice, victoriae spem erecti vel quam primum adventarent. Quo ipso eo magis excitati, cum antea diu magnis itineribus progressi fuissent, defatigati Bizinum venerunt, et vix ad sepes alligare equos aliqui eorum potuerunt, quando de appropinquante Cancellarii exercitu subito est nunciatum. Erant Maximiliano regi insigniores belli duces aliquot: ac

primum in polonis Andreas Zborovius regni aulae Marschallus, qui a fratribus Joannis discessu omnem administrationem nostram in se receperat. Germanorum equitum praefectus Erasmus erat Lichtestainus; nec non et Jagelhardus Curcius ea ipsa nocte, quae praelium antecessit Vratislavia Bizium venerat aliquo numero peditum, sed inermium, comitatus. Cum igitur et de hungaricis copiis jam constaret, et hostis in vicinia esset, quid faciendum tandem, et num praelii alea experiunda esset ultro citroque sermones apud regem serebantur. Audiebat is omnium non invitus sententias, quae fere omnes eo, ut cum hoste confingeretur, inclinabant. Solus propemodum erat Henricus Walde silesius veteranus et experiens Miles, qui quod reliquis non ad stipularetur, tanquam delirus et timidus senex, audiente rege, a nonnullis ridebatur; sed iisdem illis quantis cum copiis Cancellarius adventaret non utique constabat, varieque admodum ii, qui capti fuerant, et de numero exercitus, et de adventu Cancellarii confirmabant; quamquam et esse quidem ipsum, et non infra quinque militum habere millia ab omnibus dicebatur.

Maximilianum adventantium hungarorum auxilia, quae illa ipsa nocte ad futura sciebat, in magnam victoriae spem haud dubie erigebant, et nec aliis magis, cum polonis, tum germanis ipsis, nolebat sibi videri loco cavisse; quidam, Polonorum copias et animos extenuando, oblatam cum hoste dimicandi occasionem nulla ratione negligendam principi testabantur. Quo demum est factum ut insequenti die summo mane se accedentibus rem jam in tuto esse et hungaros advenisse nunciaret,

nec mora armatus, et generoso vectus equo eo, quo et Volunii . . . (39) non nemine eum dehortante, in campum egrederetur, et in colle quodam editiore consisteret cum quibusdam tam germanorum, quam polonorum praecipuis, quibus rex vel ipsis se ordinibus immiscere non verebatur. Reliquae quidem tam peditum, quam equitum copiae longius, quam expediebat rebus ab oppido se removerant, et adventantes turmatim hostes ociose inspectabant. Quod Praepostsvarius conspicatus vituperare initio coepit, sed ne, militibus pedem rursus versus oppidum referentibus, res fugae persimilis appareret, hostemque eo magis confirmaret, non mutandas aut instruendas alio modo acies tandem omnino iudicavit. Eventus sane docuit multis et variis rationibus hostem ludificari, et adeo etiam superari potuisse. Nam primum quidem bonus agger, qui ex Polonia in Silesiam venientibus occurrit, superandus ei fuerat; in aggere altero una parte Cancellarii exercitus admissa, exclusa armis et bombardis, alteram in maximas angustias redigi posse nemo sanus dubitabat. Deinde erat ipsum etiam oppidum non arte solum, sed natura ita munitum, ut, curribus et plaustris Maximiliani exercitus circa illud dispositis, aggereque et fossa ductis, ex quibus postea in hostem excursiones fierent, ejus impetum aliquando retardare, et aut auxiliis adventantibus tempus, aut vero tutum receptum militi ulterius praestare posse videretur. Sed haec quidem neglecta omnia; cum ad solam adventantis Cancellarii famam animose, quam considerate magis fuisset properatum, ejus exercitui victoriam pepererunt. Stetit is ad molendinum quoddam diutius, in quo

etiam a rustico capto de hungarorum Bizinum adventu, licet nihil certi et explorati, intellexerat. Demum cum aggerem, in quo metuebat periculum, superaturus esset, totus armis indutus, militem ut pristinae virtutis memor esset, et pro illatis injuriis vindictam sumeret in hoste brevibus est cohortatus. Idem fecit ad suos Lichtestainus, et ad hungaros Praepostsvarius. Andreas Zborovius corpore aeger, animo etiam languere quodammodo videbatur. Ita demum Cancellarii exercitu, loco ex editiori veniente, instructis et ad admirationem exornatis ordinibus, Maximiliani copiis, cornu dextrum hungaricis, sinistram sclopetariis germanis tenentibus, polonis vero quibusdam in medio collocatis, peditatu germano terga claudente, et ab equitatu paulo longius disiuncto, deventum est ad certamen. Ac quod mirum videri poterat, Poloni licet a partibus Maximiliani pauci admodum illi in Polonos, hungari in hungaros, et germani in germanos inciderunt. Sed nullius quam hungari militis major fuit obstinatio, qui paucis, unus alterum, quid in illis vagaretur oris contumeliose alloquutus, contractis hastis, ense demum depugnavit, eo quidem modo, ut singuli fere eorum equites in terram cum ipsis equis cadentes confractarum hastarum frustis passim respersi spectarentur. Erant a Maximiliani parte hungarorum praecipui Valentinus, quem diximus, Praepostsvarius, Petrus Andriasti, Paulus Kilich, Georgius Calnaschi, Benedictus et Joannes Concondi, Paulus Limogi; cum Cancellario Balthassar Barchori, Joannes Bornamisea, et quidem alii pari fere equitum peditum-

que numero spectabantur . Maximiliani porro germanos Erasmus Lichtestainus , Guilhelmus Operstorffus , Joannes Mederus Hamstainus , Bernardus Walde , cujus ea die opera extraordinaria utebatur rex , et alii multi instruebant . Quibus rursum Nicolaus Farenbeckius , Joannes Veierus erant oppositi inter praefectos , summo eorum duce Cancellario ; polonos inter Nicolaus , Tibeidovinus cracoviensis , Thomas Boiovinus praemisliensis , Petrus Moschovius osivezinensis , Joannes Pozostavius sendomiriensis , Franciscus Conozpolius volumiensis , Gasparus Matriciovius sepusiensis , capitanei ; et multi alii nobiles centuriones Strussi Vronocius , Casimirscius , Lascius , Zolkevius , Massinovius , Ligaza Pronka , aliique numerabantur .

A partibus Maximiliani , equitum cohortibus Andreas Zborovius , qui idem , ut dixi , militiae , absente fratre , fuerat dux , Stanislaus et frater Stadinici , Zolandus et alii praecerant , quorum tamen nemo praeter Stanislaum Stadinicum et Zolandum cum hoste ea die est congressus ; ac ne praelium quidem ultra dimidiam duravit horam , moravo primum , mox polono milite statim a congressu magis , quam retineri potuisset , effuse admodum fugiente ; quem reliqui Poloni et Germani insequuti jam initio terga vertenti hosti , de qua multum adhuc dubitare posse videbatur certam victoriam reliquerunt . Constat quippe quatuor militum Vexilla cum primi in exercitu Cancellarii ordines a cataphractis equitibus germanis Melchiore Bederio , Henrico Walde , et Guilhelmo Operstroffo eo usque dubitantibus , at ea die strenue se gerentibus perrupti fuissent , fugam capessere iam coepisse , quos Mo-

ravorum ignavia , et nequaquam pristinae virtutis respondens Polonorum a parte Maximiliani animus, tum denique Cancellarii ipsius, et praefectorum ejus vigilantia facile tandem nutantes in officio confirmavit . Peditatus Maximiliani germanus, ut ex faece vulgi et tumultuarie coadunatus fuerat , vix se loco movit , et paulo minorem initio , quam hostis ipse , in suis edidit stragem , nec scienter , neque cum opus fuisset sclopectis explodendis ; cum interim tamen ne una quidem bombarda major a Maximiliani parte in hostes exploderetur , Cancellarii duae explosae sunt, quibus si non strages edita, metus certe incussus aliquibus videbatur . Nec multo post ipse etiam Maximilianus cum eo die virtutis suae specimen edere, et in confertissimos hostes inferre ipse se voluisset , dolens gemensque suos tam turpiter , nulla hostium impressione adactos , se in fugam dare, a quibusdam e suis monitus salutis suae consuluit , et in oppidum Bizinum, citato equo se recepit . Quod ingressus cum fuisset , neque in illas, in quibus antea fuerat , aedes divertisset , rogare obtestarique eum omnes ne quos suam fortunam sequi voluisset, in tanto discrimine desereret , atque adeo ipsum etiam se majoribus periculis in fuga objiceret, qua plures quam in acie ipsa aliquando interirent , et hoc quidem nomine cum alii , tum vero Comes Gorkanus verba ad eum faciebat .

Ita tandem Maximilianus rex cum hostiles effugere potuisset manus , aliquando secum ipse coluctatus, et tot tantorumque, quos apertae, si discessisset, neci relinquere se videbat , misericordia ductus , conscenso praetorio, eventum rei expectabat . Accurrit interim ad oppidi portas miles statim Can-

cellarii, et oppido ipso circumdato clamoribusque sublatis, nonnullisque aedibus extra illud succensis praesens cunctis excidium, nisi se dedidissent, minabatur. Fama tunc vulgabatur Stanislaum, quem diximus Cziollium, conscenso muro de Maximiliano rege suo, in oppido existente, militi Cancellarii nunciasse, et intra eum atque Cancellarium transigendarum rerum gratia se interponere postulasse. Utrumque certe fuit; Cancellarius ut in oppido esse Maximilianus didicit, aliquot turmas equitum, quas ut eum Namsilium versus insequerentur miserat, statim revocavit: Cziollio huc atque illuc cursitante, his demum conditionibus prolatis dedere se Maximilianus minime dubitavit: Primum quidem ut in castra Cancellarii descenderet, nec ullam irrisionem vereretur; Tali loco eum habendum, qualem dignitas, et amplitudo ducalis postularet; Deinde ut de pace constituenda, et de damnis regno Poloniae resarciendis utrinque tractaretur; Germanos proceres, praecio dato, pristinae restituendos esse libertati; Traditis tantum armis dimittendos pauperiores; Polonorum praecipuos penes Maximilianum ad voluntatem Sigismundi regis et Senatus salvos permansuros; ab iis vero edendum jusjurandum ne in regem et rempublicam amplius aliquid moliantur; Bona quae circa se haberent, lege belli, militum fore potestatis; fortunae et facultates aliae daturum belli ducem operam ut sarctae tectaeque eis servarentur; Sepusium, sive Luboulia regno Poloniae restitueretur (40). His et ejusmodi initis, et scripto comprehensis conditionibus, eadem qua pugnatum est quarta et vigesima Januarii die, hora noctis propemodum tertia in castra Cancellaria

rii cum Germanorum , et Polonorum praecipuis Rex descendit . Quo eodem mense , et haud scio an die , Maximilianus ejus nominis primus Romanorum Imperator Brugis quoque a suis detentus fuisse memorabatur . Iam vero descendente in castra Cancellarii Maximiliano , cadavera aliquot nuda in via , qua transibat , erant posita . Cancellarius porro ipse tantam moderationem animi prae se tulit , quanta in victoria , quae natura insolens et superba est , vix etiam credibilis videbatur , coenante quippe apud se Maximiliano , sedere jussus , capite nudato stabat , et ipsius magnitudinem animi et dignitatem oris , aliasque regales virtutes apud suos praedicare non cessabat ; secus quidem milites et praefecti ejus vel statim ab initio se gesserunt , ac nullum non vestigium crudelitatis et superbiae in victoria expresserunt ; inter quos Ioannes Bornamista , vir alioquin militia clarus , maxime notabatur , propterea quòd praecipuos quosdam germanorum , reclamante ipso Faretisbilio Cancellarii praefecto , pecunia , quam occultaverant , magna dictorum et factorum adhibita contumelia , spoliasset , eo etiam addito ut si tam pauca in illis castris inventurum se scivisset omnium interficiendorum futurum se fuisse authorem . Erant quippe nonnullis ante diebus ex suppellectili Maximiliani Opoliam aucta potiora , et cum jam fere esset ad praelium ventum , octoginta talerorum millibus currus onustus Vratislavia veniens non longe a Bizino armorum et bombardarum audito sono Namsilium est reversus . Insequenti die jussu Cancellarii , ut omnes quid haberent capitis periculo captivi profiterentur , praeconis voce est proclamatum . Demum

ad numerum suorum qui desiderabatur explorandum, tumulandaque mortuorum corpora Dux descendit. Desiderati sunt utrinque multi, multo tamen in victis, quam victoribus plures. Norlubus ex Cancellarii praefectis, vir fortis, in acie cecidit, vulnerati vero sunt quam plurimi, inter quos Stanislaus Zolkovius Cancellarii agnatus cum in confertissimos hostes se intulisset, graviter fuit sauciatus, nec non et Ioannes Garbovius, Guilhelmum Operstroffium ea die strenue ad modum depugnantem jam captivum ducens a Sterenbergio Barone austriaco imprimis generoso adolescente globo sclopetti graviter ictus equoque disjectus vitae periculum adiit fere extremum. Ex parte Maximiliani regis praesertim vero pedites multi sunt desiderati, sic ut mille et quadringenta cadavera in ipso pugnae loco fuerint adinventae, praeter eos, qui in fuga occisi, aut ab ea cum curribus et equis retracti in hostium venerunt potestatem. Tandem paucis a conflictu diebus fere mille et quingentos germanos milites, ademptis armis facultatibusque omnibus, Cancellarius dimisit ulterius in Silesiam, quos et ipse paulo longius comitatus, oratione per interpretem lugubri ad eos habita, usque ad lacrymas christiani nominis deploravit detrimentum. Ea res varie quidem accipiebatur a nonnullis, cum idem ille Cancellarius, nec in oppido, neque alibi a stupris virginum, et a direptione templorum militem suum tenuisset. Caesarum corpora separatim polonorum, separatim germanorum iussit idem tumulari. Hos vero utriusque nationis captivos in sua habuit potestate, ex polonis, Iacobum Varoncum Chioviae episcopum, Stanislaum comitem

Gorkanum posnaniensem, Andream Zborovium aulae regni Marschallum, Alexandrum ducem Druncensem, Stanislaum Sendivogium, Gzarukiovium, Stanislaum Cziollium, et ipsum Vierzbirium decanum gnesnensem, qui omnes a consiliis Maximiliani fuerant. Ex eodem vero ipsius consiliariorum numero, qui evasissent, Petrus Spot praefectus petricoviensis, Stanislaus Stadnicus, et Christophorus Varsavicius desiderabantur. Ex germanis porro Lichtestainus, Curcius, Lobelius et multi alii ab eodem sunt detenti, quorum paulo post aliqui militari juramento, ut reverterentur, obstricti, ipso permittente Cancellario, in Germaniam redierunt. Dictu autem est incredibile quantus et Silesiam cunctam motus tum pervasit, cum adeo etiam ii, qui remotiores fuerant, et extra omne fere periculum versabantur, passim cum liberis et conjugibus per agros palantes cernerentur; *nihil enim est terrori magis, quam in ociosa et tumultibus non assuetata regione adventantis nuncius militis, praesertim victoris*. Iam vero quarta a praelio die, discedente exercitu, ne praedis et rapinis intentus in potestatem, ut plerumque accidit, hostis, miles tandem pervenisset, oppidum illud Bizinum succendi Cancellarius iussit, et paucis milliaribus confectis ad Ioannem episcopum vratislaviensem utriusque Silesiae praefectum literas dedit, quibus auctore Maximiliano reduxisse exercitum se, ut interim induciis factis, et deinde conventu commissariorum in finibus juxta pacta indicto, de pace restituenda, et Archiducis liberatione tractaretur, faciebat eum certiolem; illud etiam testabatur sanguinem non sitire, ac ne umquam sitivisse christianum. Cete-

rum quod fecisset, id vi illata, et tot mensium patriae suae direptionibus et vastitate adactum facere ipsum fuisse. Cui vratislaviensis episcopus sic respondit: nihil sibi de conventu constare commissariorum in confiniis indicendo: ac ne de induciis quidem, cum Silesia Polonis bellum non intulisset. Contra vero polonus miles, violato jusiurandi foedere Silesiam invasisset, et vastasset, cujus rei gratia ejus provinciae Ordinibus arma cunctis fuissent imperata. Quod vero reduxisse se exercitum Cancellarius significaret, bene esse factum; et quamquam de Caesaris voluntate nihil sciret, nihilominus tamen initurum se esse eam rationem, ut interim pacata essent omnia, si modo Polonus miles a maleficio et injuriis, de quibus quotidie novi nuncii ad eum perferrentur, sibi tandem aliquando temperaret (41).



*SPECIMEN ALTERIUS NARRATIONIS RERUM EARUM-
DEM, DE QUA LOCUTUS SUM IN PRAEFATIONE.*

*P*raelio ita, quemadmodum Deo visum fuerat, perfecto, sereniss. archidux Maximilianus cum quibusdam, qui circa illum erant, recta in oppidum se contulit, quod cum Generalis capitaneus exercitus polonici cognovisset, omnibus aliis rebus posthabitis, oppidum cingi, aditusque omnes intercludi jussit; maxime vero pedes sine ulla cunctatione statim muros et portas subivit, quas cum securibus exscindere jam cepisset, significa-

*tio ex oppido facta fuit, colloquium peti. Prodi-
runt inde Alexander Pruncki capitaneus lucen-
sis, Stanislaus Cioleck Polonus, Logus Germanus;
et expostularunt nomine Archiducis quod in di-
tionem alienam et pacatam eum persequutum op-
pugnarent. Responsum fuit non esse jam iis de
rebus agendi locum, quamvis ante etiam satis Cra-
coviæ jam ultro citroque disputatum esset. Debere
sereniss. Archiducem, quo in statu res esset con-
siderare, aliaque potius, quæ præsentis temporis
essent, proponere. Quo cum responso cum illi se
recepissent, redierunt haud multo post, ostende-
runtque, si quod in Poloniam transisset eum op-
pugnarent, primo non tamquam hostem venisse,
sed tanquam regem, et electum quidem regem, at-
que vocatum ab iis, partim, qui circa se essent,
partim, aliis absentibus, qui jure id se facere exi-
stimassent. Nunc si de eo certamen esset, abdicare
se eorum regno, tituloque regio. Ostensum ad
haec fuit, de eo quidem potissimum agi; non satis
tamen esse ut eo se abdicaret, nisi id etiam cave-
retur ut et stabilis pax constitueretur, et contro-
versia ea non amplius excitari posset. Ad eam
rem necessarium esse ut Archidux ipse in pote-
state regis et reipublicæ esset. Actum deinde pau-
cis de conditionibus deditiois fuit: eaque iis fe-
re totidem, quæ sequuntur, verbis subito in pugil-
laribus polonice exaratae, manuque ipsius Gene-
ralis capitanei subscriptæ, missæ ad Archiducem
fuerant.*

*In primis rogo Serenitatem tuam ut casum
hunc humane, ac forti animo, et heroice ferat.
Iudicia divina inscrutabilia sunt; alio loco, atque*

*alio imperio compensare id Deus potest . Homini
eo loco nato fortunam adversam constanter ferre
convenit . Ego non elatione aliqua animi , verum
ob tranquillitatem patriae requiro ut Serenitas
sua conferre se ad me velit in custodiam hujusmo-
di , quae dignitati Archiducali , et tam clarae do-
mus homini conveniet . Subsannatio nulla erit , ne-
que contumelia aliqua in sistendo eo Regiae Ma-
jestati . Erit in arce aliqua privatim , tali loco
atque honore , qui tanto principi convenit , ad con-
ventionem usque et perfectionem conditionum pa-
cificationis R. Majestatis et regni hujus cum Caes.
Majestate et ditionibus Caes. M.*

Actum Bicinae die 24 Ianuarii A. D.

MDLXXXVIII.

ГОСУДАРСТВЕН.
НОЙ КОЛЛЕГІИ
ИНОСТРАННЫХЪ
ДѢЛЪ.



(1) **E**os inter, qui de laudibus Stephani regis scripserunt, e Polonis, recensentur Stanislaus Rescius, qui edidit libellum *De rebus gestis Stephani regis Poloniae contra M. Moscor. Ducem narratio.* (Romae apud haered. Ant. Blasii 1582. 4.) Apud Editorem est exemplar hujus libelli cum hac inscriptione in summo margine frontis: *Latini Latini Viterbiensis Stanislai Rescii munere v. kal. Junii MDLXXXII - Commentarium Rerum a Stephano rege Poloniae in secunda expeditione adversus M. Mosc. Ducem gestarum an. 1580.* (apud eundem anno eod.)

In Epistolis ejusdem Rescii multa in laudem Stephani regis dicuntur; praecipue in epistolis III. et XIX. Neapoli 1594 8vo.

Christoph. Varsevicii *In obitu Stephani Pol. regis Oratio.* (In codice nostro scribitur Varsavicius, sed corrigendum videtur uti est in ejus libris Varsevicius.)

In Rerum polonicarum T. I. (Francofurti apud Ioan. Wechelium 1584. 8.) haec de Stephano Poloniae rege continentur: Panegyricus ad Stephanum I. Polonorum regem Chri-

stophori Warsevicii.- De clade Dantiscanorum (an. 1577. die 17. Aprilis) a Ioanne Lasicio polono descripta -- Supplementum de rebus gestis inter regem Poloniae Stephanum, et M. D. Moschoviae A. D. 1579. mense augusti.- Edictum regium de supplicationibus ob rem bene adversus Moschum gestam -- Rerum post captam Polociam contra Mosch. gestarum narratio -- Edictum de supplicationibus a Pol. rege Stephano, Wielikiluco ex Moschovia missum die 5. mensis septem. A. D. 1580 -- Oratio Christophori Varsevicii ad sereniss. Stephanum regem Poloniae qua XV. Ianuarii ad Zalposciam confectam pacem gratulatur -- Nova gubernatio Livoniae recens a Stephano rege Poloniae instituta An. 1583. -- Stephani Pol. reg. literae ad Ordines regni Pol. de rebus a se in bello adversus Moschos superiori aestate gestis A. 1580. die. 6. septem. ad Wielikilukum scriptae.

Apud hujus Commentarii editorem adservantur MSS. Avvisi di Polonia et di Livonia A. 1582. -- Impresa contro la città di Plescovia.-Successo della guerra del re di Polonia con il Moscovita nella Lituania. A. 1579.-Spedizione contro Vieliza 6. Agosto 1581- Presa di Vielikiluki e descrizione di quanto accadde in quell' occasione (Settembre 1581) Stephani Poloniae regis epistola Alexandro de Farnesiis Cardinali Diacono etc. Regni Poloniae Protectori. Datum Varsoviae die III. Iulii anni D. MDLXXVI.

Inter externos, Ioan. Michael Brutus venetus de Stephano rege Pol. in vivis adhuc agente, scripsit plura in Epistolis impressis Cracoviae, et deinde Berolini An. 1698. 8vo.

Antonius Possevinus Mantuanus Iesuita cum in aliis libris, tum in Epistola *ad Stephanum Bathorem Iuniorum Transylvanae principem data de forma Principis Christiani*, in qua Stephanum regem patrum suum in exemplum illi proponit.

Iesuitae omnes ab eo in Polonia, et maxime in Lithuania constituti laudes illius effuso stilo prosequuti sunt.

Venetis quoque anno MDLXXXIII. editus est liber cum titulo „ Viridarium Poetarum tum latino, tum graeco, tum vulgari eloquio scribentium in laudes serenissimi atque potentiss. DD. Stephani regis Poloniae „ in duas partes dividitur, quarum altera italica, altera, graeca et latina complectitur carmina. 4.

(2) Stanislaus Karnkoviſius primum administrationem geſſit Eccleſiarum Wladislavienſium et Pomeraniae, deinde a Stephano rege ad gubernationem Eccleſiae gneſnensis deſignatus eſt. De illius laudibus ſcripſit epistolam Reſcius, quae eſt XVI. Flaminius Nobilius italus eidem nuncupavit libellum de rebus geſtis Stephani regis (quem ſupra memoravimus) et inter alia laudat orationem ejus *De tuenda unitate fidei . . . qua quidem oratione nihil legi doctius, ardentius, verae pietatis plenius, ad regni ſalutem accomodatus.*

Martinus Bronioviſius illi inſcripſit libellum cui titulus „*Epistola Domini Chiacor*“, de qua infra. De Karnkoviſio plura videas apud Simonem Starovolſcium in *Centum illuſtrium Poloniae Scriptorum elogiiſ* etc.

(3) De Zhoroviſiorum familia egit Michael Brutus in ep. Iacobum Corbinellum in lib. 4. Epist. Berolini 1698.

(4) Hic Martinus Bronioviſius edidit libellum cui titulus eſt: *Epistola generosi dom. Georgii Chiacor, Secretarii ungarici de morbo et obitu sereniss. Magni Stephani regis Poloniae* etc. Claudiopoli 8vo.

Bronioviſius praefatus eſt Stanislao Carnkoviſio archiepiſcopo gneſnensi his verbis. „Accidit ſane importune ſatiſ ſer. Stephani regis noſtri obitus, ampliff. ac reverendiſſ. Antiteſtes: namque eodem tempore accidit quo ipſius vita, ſi unquam antea, Reipublicae, apprime ſalutaris et commoda eſſe poterat . . . Graviffimam ergo in ipſius amiſſione jacturam noſ feciſſe certum eſt; verum haec tamen eo viſa eſt gravior, quod tam repente, et praeter omnium expectationem evenit . . . Quo circa neque mirum ſi non ceſſaverint huc uſque quamplurimi a nobis praeſertim aulicis inquirere ac percontari quo morbo ſereniſſ. rex noſter laboraverit, quo lapſu, quo caſu factum ſit, ut rex tantus, et talis vix aegrotare viſus, vix quinque dierum ſpatio male habens tam miſere occubuerit fatoque ceſſerit . . . Quamobrem avidiſſime expectabam ſi quis tandem eſſet, qui hanc univerſam morbi et obitus ſereniſſ. regis Stephani contexeret: cum ecce, neſcio quo fato, oblatum mihi eſt de hac re nobiliſ dom. Georgii Chiacor ſecretarii regii literarum exemplar, earumque a doctiſſ. quodam viro conſcriptum examen. Hoc cum perlegiſſem exacteque ac fideliter (quantum ex eorum quoque relatu, qui haec me melius noſſe potuerunt accepi) omnia

persequutum D. Chiacor vidissem, facere non potui quin producerem in apertum, ac publicarem. etc. „

Medici qui in diversas discessere sententias fuerunt praesertim Simon Simonius ex Italia Lucensis; et ejus conterraneus Nicolaus Boccella, uterque medicus regius. De quaestione autem hac universa agemus in commentario *De Medicis italibus in Polonia*. De Martino Bronpio V. Stanis. Starovolscii Ecatontas. Simon Simonis edidit librum cum titulo „ *Stephani I. Polon. regis sanitas, vita medica, aegritudo, mors* „ *Myssae* 1584. Conatus est eo libro se purgare ab suspicionibus, quae contra se suscitatae sunt seu de veneno regi propinato, seu morte per curationem contrariam consilio promota.

(5) Huic Vesselino hungaro nuncupavit Io. Michael Brutus *libellum praeceptorum conjugalium*. Berolini an. 1698. 8.

(6) (7) De Renholdo Haidesteinio ita Brutus in epistola ad Cratonem data Cracoviae Kal. Aug. 1585. „ Gratissimam rem facies si claris. Monauco meis verbis multam salutem imperties, simulque significes Haidesteinium per hos dies huc advenisse eo consilio ut typographo Rerum moschoviticarum commentarios excudendos tradat, simulque excudentur, dabo operam ut habeas. Habitat et ipse in arce, in praetoria domo, non procul a regia, ut sit facultas crebro conveniendi „. Ex hoc loco potest confirmari suspicio quod ea, quae in comitiis objiciebantur, veritate aliqua non carerent. Starovolcius ita de illo in *Claris Oratoribus Sarmatiae* „ Renholdus Haidesteinus nobili loco in Prussia natus, nobilissimaeque dicendi scientiae totus plane deditus, ita de re quapiam copiose prudenterque disseruit, ut et utilitati delectatio, et majestati Rerum verborumque splendor ac dignitas non deesset. Apparet hoc ex commentariis illius de bello moschovitico exactissime scriptis, itemque ex controversiis contra hostes Ecclesiae factis, aliisque posthumis eius lucubrationibus. (Starovol. de Claris. Sarm. Orat. Florentiae 1688.) Ejusdem Haidesteinii Historia Rerum polonicarum XII. libris edita est hoc titulo „ Reinholdi Haidesteinii Secretarii regii Rerum polonicarum ab excessu Sigismundi Augusti libri XII. Francofurti ad Moenum sumptibus Caspari Wächtleri, typis Ioannis Andreae 1672. etc. Eadem prodiit sub auspiciis Michaelis Poloniae regis. Fuit se-

cretarius regis Sigismundi III. Est apud Editor. MS. „ Praescriptum Legationis S. R. Majestatis DD. Georgio S. R. C. Radivilio et Nicolao Firley de Doxmbrowicza palatino cracoviensi etc. ad sacram Caes. Majestatem die 26. Maii an. 1599. . Subscribitur R. Heidensteinus , unde corrigitur orthographia hujus nominis, quae in nostro MS. scribit Heidesteinum .

(8) In Comitibus post discessum Henrici regis indictis electus est , die XVIII. decembris an. MDLXXV. potissime ab Lithuanis , in regem Poloniae Maximilianus II. Rom. Imperator , renuente altera , vel potiori , parte Electorum . Sunt apud Editorem MSS. pacta conventa hujus electionis, aliaque tunc peracta ad illum in delata dignitate confirmandum. Prae ceteris cautum est. „ *Academiam cracoviensem et ejus doctores novis stipendiis et ornamentis, viris doctissimis etiam ex Italia vel Germania accitis (Maximilianus rex) augebit , ut ea sit veluti seminarium Reipublicae , ex qua viri ad rempublicam gerendam sapientissimi prodeant ; id vero ut quam primum Majestas regia faciat Ordines petunt „ .*

Qui postea electus est , eius loco, Stephanus Bathoreus hanc Reipublicae voluntatem adeo neglexit , ut , veteri academia cracoviensi posthabita , novam Vilnae instituerit, et Jesuitis docendi provinciam tradiderit. De qua re multi conquesti sunt , dolentes „ plurimas scholas a Jesuitis dissipatas esse , et Academiam cracoviensem celeberrimam solitudine foedam , et squallidam , quae literatorum Iuvenum quatuor millia , aliquando , numerabat , nulla antiqua ornamenta retinere „ .

Contra, Stanislaus Rescius conatus est has diluere accusationes eo libello cui titulum fecit „ *Spongia, qua absteruntur convitia et maledicta equitis poloni contra Jesuitas* . Cracoviae 1590. ; et Neapoli 1592. 4.

Quomodocumque res esset, illud pro certo habendum est Stephanum Bathorem Poloniae regem magno in pretio habuisse literas et homines doctos ; eumque ita loquentem inducit Stanislaus Rescius in epistola ad Muretum datam Cracoviae idibus Januariis anni MDLXXXII. „ *Quid nostra purpura ? Quid castra ? Quid devictae jacentesque sub pedibus provinciae ? Vivent , dum vivet honor literis ; nostras*

Woodi 4231-35

Stanislaus Rescius

purpuras nisi istorum (sapientum) loquantur literae, idem forte, qui corpus, lapis et urna obruet. Quo libentius a me susceptum fuit consilium ut Muretum, Sigonium, Ursinum, Aquarium, Gregorium de Valentia, illas musarum delicias in regnum hoc meum ex Italia evocarem, qui curam erudiendae sustinerent juventutis, qui regnum hoc meum non solum omnium redderent florentissimum, sed etiam securissimum Ista cum more illo suo rex optimus dixisset etc.

(9) Stanislai Rescii epistola XVII. est Andreae Opalenio data Romae Kal. Jan. MDLXXXI.

(10) De Joanne Herborto, sive Herburto V. Simonis Starovolcii Ecatontas. elog. XXI.

(11) Quot et quae clandestina consilia cum exteris agerentur, quibus muneribus captarentur, ne dicam quo pretio emerentur suffragia, patet ex epistolis italicis Simonis Genga, quae datae sunt Rigae die VII. Ianuarii, et Roslaviae XXV. Augusti An. MDLXXXVII. *Apud Editorem.*

(12) Fuit circa ea tempora in Polonia legatus Ducis Ferrariensis Joannes Baptista Guarini; idem ille qui perelegans poemation scripsit *il Pastor Fido*; quod polonice versus a Stanislao Lubomirski primum prodiit Thorunii an. 1695, et rursus alibi an. 1722. Inter Joannis Bapt. Guarini epistolas editas Venetiis anno MDLXXXIV. est una Ferrariae data XVIII. Junii MDLXXXVI. ad Andream Zborovium, in qua dicit se legatum missum fuisse in Poloniam a Duce Ferrariae.

(13) Quae breviter hic narrat author, fusiori calamo scribuntur a Simone Genga in epistola ad M. Etruriae Ducem; e qua sunt quae sequuntur „ Che non possi essere il figlio del re di Svezia dicevano perchè era figlio d'un Luterano. che non potessi essere uno della nazione allegavano che la parità delle famiglie che sono in questo regno non acconsentirebbe che alcuna fossi preposta, parte per invidia, parte perchè temerebbero che in quella stessa casa non si facessi ereditario; le quali cose tutte sentite, io come buon servitore dell'Altezza Vostra non mancai in questo proposito ricordarla discorrendo, che quando facessero eletione di lei la farebbero d'un principe dotato di tutte quelle belle parti, che sapessero mai desiderare; et qui narra con che pru-

